HISTORIA IEMANAE,

E CODICE MANUSCRIPTO ARABICO,

CUI TITULUS EST:

بغية المستفيد فى اخبار مدينة زبيد

CONCINNATA;

quam, praemissa de libri auctore et argumento, nec non de antiquitatibus Jemanensibus historicis disputatione; adiecto indice geographico locorum et fluminum, in codice obviorum, ab illustrissimo philosophorum ordine in Academia Borussica Rhenana praemio ornatam

EDIDIT

CAROLUS THEODORUS JOHANNSEN,

HOLSATUS.

BONNAE APUD MARCUM,

EX OFFICINA BAADENI.

MDCCCXXVIII.

PRAEFATIO.

Quum ante hos tres annos in Academiam Borussicam Rhenanam me conferrem, id mihi potissimum fuit consilium, ut institutionibus F r e i t a g i i, *doctissimi viri, cujus fama jam ad ultimas septentrionis oras et ad meas quoque pervenerat aures, operam navarem, sperans fore, ut laetissimi inde studiis meis accrescerent fructus; neque, quam animo conceperam, spes me fefellit. Mox enim intellexi, haud facile esse aliquem, qui vel ipse penitius rationes ditissimae, at difficillimae Arabicae linguae perspexerit et uberiorem litterarum Arabicarum cognitionem sibi comparaverit, vel juvenes, harum litterarum curiosos, majore cum humanitate exceperit, suoque exemplo*

eorum animos horum studiorum amore imbuerit. Quum per aliquantum temporis sub auspiciis eius litteris orientalibus operam dedissem, amplissimus in ista Musarum sede philosophorum ordo inter alia etiam hoc quaestionis argumentum proposuit, ut e codice Arabico historia Jemanae exhiberetur; ego autem, haud inscius, quam imperfecta mihi esset linguae Arabicae cognitio, totum huius periculi faciundi consilium abieci. Quod quum vidisset vir humanissimus, summopere me exhortatus est, ut, in his litteris, quid valerem, periclitarer; rationem simul indicavit operis suscipiendi et fauste conficiendi, optimi denique musei sui mihi praebuit facultatem. Hoc igitur suasore et auctore ad istud argumentum tractandum me accinxi et, annuente summo numine, id sum assecutus, ut dissertatio mea palma ornaretur. Vident igitur omnes, quantum illud sit, quod hac in re viro clarissimo debeam, sed is ne hunc quidem humanitati finem praescripsit, sed, quum, ipsius judi-

cio fretus, commentationem meam publici juris facere constituissem, fastidiosum et molestum istud negotium, quod a libris typis exscribendis sejungi nequit, humanissime in se suscepit, partem ipse suis humeris imposuit, partem per alios faciendam curavit.

Quod humanitatis specimen, quum jam per se maximum sit et honorificentissimum, eo magis mihi gratum fuit, quod ipse, antequam laetum accepi nuntium, unanima ordinis philosophorum auctoritate, palmam mihi esse adjudicatam, urgentibus aliis rebus, Bonnam relinquere coactus fueram.

Pro his tot tantisque in me meritis non possum, quin Tibi, vir clarissime, praeceptor humanissime, summe continuo reverende, gratissimum meum animum profitear, bona quaeque optem, Te iterum, iterumque valere jubeam. Vos vero, qui hanc dissertationem lecturi estis, nolite nimia

severitate in studiorum meorum primitias invehi et juvenem deterrere, quin inchoata studia, summo numine annuente, fauste ad finem perducat.

Scribebam Havniae a. MDCCCXXVIII.

§. 1.

De codice.

Initium totius disputationis a codice faciendum, ut tam de externa eius forma, quam de iis, quæ continet, disseratur; legentibus enim statim ab initio et disputationis argumentum et modus disputandi appareat, necesse videtur. Quamquam nobis archetypum codicis ad manum non est, sed apographum tantum, nil tamen impedit, quo minus breviter de eo exponamus. Nam apographum illud, quod benignitas cl. Freytagii mecum communicavit, ab ipso hoc viro doctissimo summa cum diligentia transcriptum est. Exemplar autem huius codicis a viro, de cognitione cum totius Arabiæ, tum præsertim tractus Jemanensis optime merito, Niebuhrio, cui Deus faveat, ex Arabia allatum, hodie in divite bibliothecae Hafniensis penu asservatur, sed ne ipsum quidem archetypum est, id quod ex universa codicis ratione satis apparet.

Etenim codex ille permultis locis non solum punctis diacriticis est destitutus, sed saepissime etiam litterae vocabulorum non plane sunt ex-

pressæ, ideoque a librario signo notantur, quo indicet, se exemplar suum legere non potuisse. An puncta diacritica in autographo iam defuerint, non constat. Equidem scribam ea omisisse non putaverim, quamvis in reliquis sæpe negligentiam et socordiam in libro transcribendo ostendit; plures enim auctoris manu scripti libri et praesertim tales, qui in argumento versantur historico, signis diacriticis carentes reperiuntur, quippe auctori, cui omnes res descriptae notae sint, ea superflua videantur. Dolendum autem est ante omnia, nomina tribuum, locorum, urbium fluminumque et punctis diacriticis destituta, et parum accurate scripta esse, ita ut nonnunquam sciri nequeat, quam tribum, quem locum auctor significarit. His omnibus efficitur, ut codex legenti haud exiguam praebeat difficultatem, coniecturam interdum flagitet, interdum sensu omnino careat. Inveniuntur etiam nonnullis in locis lacunae, quibus modo, nihil deesse, adscriptum est, modo voces nonnullæ videntur excidisse.

Hæc hactenus. Accedamus ad singulas, quas continet codex, partes recensendas.

I. Præmissa est introductio p. 1—2 med. quæ hisce partibus continetur:

Incipitur a disputatione de utilitate annalium conscribendorum.

Sequitur expositio earum rerum, quas auctor enarraturus est; nimirum historiam Zebidí a prima urbis origine usque ad suam aetatem.

Addit rationem, qua commotus rem susceperit. Fuit autem hæc, quod historia familiæ Benu Thaher a nemine tum memoriae mandata erat.

Enumerat deinde fontes, e quibus hausit.

Postremo subiungit divisionem totius opusculi in praefationem et decem capita.

II. Sequitur praefatio ipsa, p. 2—7, quae agit

a) De terrae Jemanensis ratione, et quidem.

1) De summa Jemanae praestantia.

2) De ortu vocabuli يمن.

3) De Jemanae divisione in inferiorem et superiorem partem.

4) De tempore et ratione, qua fides Jslámitica ab incolis accepta sit.

b) De primordiis annalium conscriptorum, eorumque ratione.

c) De historia tractus Jemanensis a fuga Muhammedis usque ad initia urbis Zebidi, ab a. 1—204. Recensentur nomina Chalifarum, enumerantur ii quos singulis Jemanae oppidis praefecerint, neque tamen præter nomina nuda quidquam traditur. Successoribus Muhammedis ab a. 1—40 Jemana parebat, Ommajjadis a. 41—132. Abbasidis 133—204.

III. Sequitur historia ipsa, eaque, ut iam diximus, in decem capita divisa.

Caput primum exponit de urbis Zebidi situ, cœlo, fructibus, plantis, muris, portisque. p. 7—8.

Caput secundum. Conditur urbs a. 204 m. Scha'bano per Muhammedem b. Zijad Alamavi.— Historia urbis totiusque Jemanae sub auspiciis regum Zijaditarum, a. 204—407. Ex hac familia regnarunt:

1) Conditor urbis: Muhammedes b. Zijad, usque ad 205, qui provinciam admini-

stravit sub auspiciis Chalifæ Almamuni Muhammedis b. Ali. b. Isa. b. Bahan.

2) Ibrahimus b. Muhammed. 205—289.

3) Zijad b. Ibrahim post breve temporis spatium obiit.

4) Abuldjeisch Ishakus b. Ibrahim 311—391. (Regnavit enim annos 80 et a. 391 mortuus est: ergo a. 311 imperium accepit.)

5) Filius ejus infans, quem alii Zijadum, alii Ibrahimum, alii Abdollahum nominant. Eius loco imperium administrarunt:

a) Reschidus.

b) Alhusainus b. Selama, cognomine Ibn Abildjaisch, usque ad 403.

6. Abdollahus, itidem infans, interfectus a. 407.

Caput tertium. Historia regum Habyssiniorum et Solaihitarum e stirpe Nadjahi. 407—553.

1) Nafisus et Nadjahus, ille interfector regis novissimi, Abdollahi. Nafisus occisus. Nadjahus regnat a. 412—452.

2) Surgit Ali Salaihita, potitur rerum a. 454, interficitur a. 459 a successore eius

3) Saido Alahwalo. Seditiones. Statim imperium vindicat sibi

4) Ahmedes b. Ali Almekrem (Almokram) Assolaihi. Sed regnum denuo recuperat Saidus Alahwalus et per quoddam tempus retinet.

5) Djajaschus b. Nadjah, frater Saidi, 482—498.

6) Alfatikus b. Alhendijjah, filius ejus, 498—503,

7) Mensurus b. Alfatik infans.

8) Filius Mensuri, Fatikus b. Almensur, interficitur anno 531 a Veziro Ikbalolfateki.

9) Fatikus b. Muhammed b. Mensur, 531—553.

Caput quartum. Historia Vezirorum e stirpe Nadjahi.

1) Anis Alfatiki, qui cum regnum affectaret, a rege Mensuro b. Fatik, sub cuius auspiciis Veziratu fungebatur, occisus est a. 517.
2) Abu Mensur Min Allah Alfatiki, ab eodem rege Vezirus constitutus, periit ob libidinem suam, a. 524.
3) Alkajid Rezikus Alfatiki. Hic postmodum sibi constituit
4) Almensurum Muflihum Alfatiki, cognomine Abu Mensuri, qui a. 527 aut 529 in bello contra Sararum mortus est.
5) Ikbalus Alfatiki. Hoc expulso constituitur Vezirus
6) Alkajid Sarurus, ultimus ex hac stirpe oriundus; occiditur a. 551.

Caput quintum. Historia familiæ Benu Mehedi 554—569.

1) Ali b. Mehedi per vim imperio potitus moritur a. 554.
2) Mehedi b. Ali, moritur 558.
3) Abdonnabijjus, frater Mehedi, regnat usque ad a. 549, quo captus est atque paulo post obiit.

Caput sextum. Imperium Ajubitarum, 560—625 vel 626.

1) Fachroddinus-Tsauran-Schah, vi rerum potitus, singulis Jemanæ partibus præficit singulos, Zebido Abulmaimunum Almubarikum b. Kamil, cognominatum Seif Eddaulah.

2) Abulfawaris Seifolislam Thagtakinus b. Ajub, frater Tsaurani, mortuus 593.
3) Maaz, filius ejus, interfectus a. 598 (vel 593).
4) Nasir b. Seifolislam frater Maazi, obiit 611.
5) Azius b. Djabaril regnum usurpat.
6) Mater Nasiri regnat.
7) Sulaimanus Takioddinus Omarus b. Schahneschah b. Ajub.
8) Mesudus Selahoddinus Jusufus b. Almelik ab a. 612—625 vel 626.

Cod. p. 16—p. 20.

Caput septimum. Benu Rasul Gassanidæ ab 625—859.

1. Almensur Nuroddinus Omarus b. Ali. b. Rasul b. Muhammed b. Harûn b. Abilfath b. Rustem Algassani Assahaki Atturkomanni ab a. 626—647.

   (Sed a. 630 demum omnia insignia regni accepit).
2. Almudhaffir filius Almensuri, 647—694
3. Alaschraf Mumhidoddinus Omarus b. Jusuf, filius præcedentis, 694—696.
4. Almuajjid, frater Alaschrafi, 696—721.
5. Almudjahid, filius prioris, 721—764.
6. Alafdhal, filius prioris, 764—778.
7. Alaschraf Ismailus b. Alabbas, filius præcedentis, 778—803.
8. Almelik Annasir Ahmedes, filius Alaschrafi, 803—829 (vel 827).
9. Almensur Abdollahus filius Ahmedis. 830.
10. Alaschraf Ismailus b. Ahmed (Adhdhahir) frater Almensuri 830—831.
11. Adhdhaher Jahja b. Ismail (Alaschraf) patruus Alaschrafi, 831—842.

12. Alaschraf Ismailus, filius Adhdhaheri, 842—845.
13. Almudhaffir Jusuf b. Almelik Almensur Omar b. Almelik Alaschraf Ismail b. Alabbas filius patrui Alaschrafi, 845. Bellum intestinum. Turcae constituunt regem
14. Muhammedem b. Ismail b. Otsman b. Almelik Alafdhal b. Gassan, 846. Continuatur seditio, rex quoque evasit
15. Ahmedes Annasir b. Adhdhahir b. Jusafa b. Abdollah b. Almudjahid Ali Arrasuli, usque ad 847 (844).
16. Almelik Almesud Selahoddinus Abulkasim b. Alaschraf b. Annasir 844—859.

Cod. p. 20—32.

Caput octavum, nonum et decimum complectuntur historiam familiæ Benu-Thaheri: usque ad auctoris tempus, i. e. saeculum decimum.

Cap. octavum. Historia regum fratrum:
1. Almelik Adhdhafir Selahoddini Amer b. Benu Thaher, 859—870 et
2. Almudjahidi Schemsoddini Alii, 859—883. Almudjahid gravi morbo affectus anno 877, imperium transfert in nepotem suum,
3. Abdolwahhabum b. Daüd. Paulo post Almudjahid morbo liberatur et ipse una cum nepote regnum administrat, usque ad 883.

Cod. p. 32—43.

Cap. nonum exponit regnum eiusdem Tadjoddini Abdolwahhabi b. Daüd post mortem Almudjahidi, 883—894,

Cod. p. 43—50.

Cap. decimum. Selahoddinus Amer b. Adhdha-

fir b. Abdolwahhab b. Daüd b. Thaher ab a. 894 usque ad auctoris tempora, init. mensis Safar a. 901.

Cod. p. 50—60.

Capiti decimo subiuncta est expositio brevis primum quidem historiæ ab Adamo usque ad Muhammedem, et inde usque ad aevum auctoris, deinde regni Chalifarum et Koraischitarum post Muhammedem, p. 60—61.

IV. Coronae loco adiiciuntur versus nonnulli, numero CXVII, quibus totius libelli summa breviter repetitur. p. 61—65.

V. Postremo denique loco posita est auctoris vitæ descriptio, ab ipso composita, p. 65—67.

---

§. 2.

De codicis auctore.

Absoluta de codice disputatione, vitae auctoris descriptio sequatur, qua in re peragenda iis, quae in fine codicis de se narravit auctor, multum adjuvamur. Auctoris nomen integrum fuit Seifolislamns ben Dsi Jezen Alfakih Abdorrahman Arrebi'. Appellatus in libri titulo: Jmamus doctissimus, princeps magnanimus, traditionum de Muhammede in Jemana peritissimus, mundi partium gnarus. Natum se esse testatur ipse, die Jovis mensis Muharrami secundo anni Hedjrae 866 Zebidi, regnante in tractu Jemanensi rege Almudjahido Schemsoddino. Cum pater eius hoc ipso anno, Zebido relicta, Divum, urbem Indicam,

proficisceretur, noster ab avo materno, Ismaile b. Muhammed b. Mubarid, Schafëita, in clientelam receptus et, cum avus ille magna et doctrina et pietate excelleret, bene educatus est. Ubi primum adoleverat, Fakiho Nuroddino Alio b. Abi Bekr b. Chattab magistro utens, aliqua Corani capita memoriae mandavit, qua in re præceptori præclaras animi dotes probavit. Decem annos natus ad avunculum Fakihum Djemaloddinum Abinnadja Muhammedem Aththajjib b. Ismail b. Abubaꝛiz pervenit, qui cognita ingenii ejus præstantia, totum deinceps Coranum legendum atque memoria complectendum ei dedit. Interim pater eius anno 827mo in India diem supremum obiit, nullis fere filio opibus relictis. Quæ quidem res studia eius nec retardavit neque abrupit. Etenim non solum complures libros perlegit, sed e multis quoque artibus et scientiis, velut arithmetica, geometria, algebra, iurisprudentia, aliis, aliquantum delibavit, præceptore utens avunculo. Deinde ab aliis quoque magistris est institutus, in quibus numeratur Takioddinus Alfata b. Mu'tabid Alaschari (anno 883). Una alterave dein peregrinatione facta a. 884 et 885, avoque illo interim mortuo, Zebidum reversus est, ibique operam dedit institutioni doctissimi Zeinoddini Abilabbasi Ahmedis b. Ahmed b. Abdollathif Aschscharadji. Hoc duce permultis libris, quorum tituli recensentur, perlectis ingenium excoluit, atque paulo post ipse librum, inscriptum بغاية المطلوب composuit. Artem historicam vero ab eo potissimum magistro edoctus est. Tum Beitelfakihum profectus et præceptore Djemaloddino Abi Ahmed Muhammed Aththaher b. Ahmed b. Omar b. Djaman

usus, nova denuo legit scripta, et Haditsi cognitionem ab Imamo Burhânoddino Abi Ishak Ibrahim b. Abilkasim b. Djahman percepit, præterea, hoc procunte, multos rursus libros perlegit. Quo facto tertiam iniit peregrinationem a. 896, eaque absoluta Muhammedis sepulchrum adiit a. insequenti. Meccam inde revertenti obtigit fortuna, ut a viro omnium doctissimo, Schemsoddino Abilchairo Muhammede b. Abdorrahmani Alaschawi, Almisri, Aschschafëi artem Haditsi Annebawi (i. e. dicti prophetæ ab ipso Muhammede prolati) edoceretur ac praeterea in multis libris legendis exercercetur. — E peregrinatione sancta in patriam redux librum inscriptum كشف الكربة (id est: deletio mœroris), et paulo post eum librum, de quo nos mox agemus, inscriptum بغية المستفيذ فى اخبار مدينة زبيد (id est: desiderium utilitatem capientis in historia Zebidi) composuit. Cum Sultanus Selahoddinus Almelik Adhdhafer Amirus b. Abdolwahhab b. Djaüd b. Thaher novissimum hunc librum cognovisset, auctorem valde laudavit, et simul, quae in scripto desiderarentur, monuit. Quam ob rem noster historiam familiae Benu-Thaher conscripsit, quapropter maximis a Sultano beneficiis affectus est, liber autem ipse eximiam acquisivit gloriam atque celebritatem. Rex deinde non solum vestibus honorificis, sed etiam parte pagi Nachl, in Wadi Zebid siti, eum donavit, eique munus legendi Haditsam (traditiones) in templo urbis Zebidi iniunxit, qua quidem dignitate per reliquum vitae tempus functus est.

§. 3

De Stilo et modo, quem in rebus tam eligendis quam enarrandis scriptor adhibuit.

Ac primum quidem scribendi genere simplici atque facili eum uti videmus, a nimia ubertate aeque atque ab exili dicendi ieiunitate abhorrente. Res gestas diligenter et accurate persequitur oratione pedestri, ita tamen, ut interdum versiculos, quamquam non a semet ipso compositos, historiae inserat. Tum vero sermone poësin attingente, qualem in vita Timuri continuo invenimus, passim utitur, idque in iis praecipue locis, ubi in rebus, quae prae ceteris ei erant cordi, describendis versatur. Etenim cum naturae sit consentaneum, ut, quam quisque rem pertractandam sibi sumpserit, eam lectoribus pro viribus commendare studeat, noster, qui Zebidi historiam enarraturus est, in hac ipsa describenda metrica paene oratione utitur, idque ut appareat, ipsa auctoris verba apponam: وهى (زبيد) بلد العلم والعلما والفقه والفقها والدين والصلاح والخير والعملاح ولم نعلم من مداين اليمن المعمورات ومساكنها المشهورات cett. *) Paulo post pergit. ومن شرقيها على مسافة نصف يوم الجبال الشامخة والحصون الباذخة والمعاقل المنيعة والمساكن الرفيعة cett. **) Huiusmodi complures apud eum leguntur loci, atque tum quidem maxime, ubi rem aliquam vult exornare atque in maiori luce exhibere.

Quod sæpe scriptoribus Arabicis accidit, ut,

---

*) Vide cod. p. 7 l. 7 seqq.

**) Ibid. l. 15. praeterea cf. p. 1. l. 21. p. 14. l. 5. cf.

cum brevitati studentes maxima celeritate ab aliis ad alios transferant orationem, de quonam sermo sit, interdum in dubium possit vocari; hoc in nostro quoque codice interdum apprehenditur. Cf. 26, 42. Annasir a patre regnum accepit, jam auctor narrat: وكان السيرى قد حط على حصن الحمرا dein فخرج الناصر, mox وفى يوم — قصد وارتقع السيرى من مكانه ونهب ما معهم — ثم عاد منصورا cett. Nonne verba عاد et نهب et قصد in hoc sententiarum nexu ad Sajjirium referenda videntur? Nihilominus tamen quæ sequuntur non de Sajjirio, sed de rege narrari extra omnem dubitationem positum est. Vide præterea p. 33, 4 a. f. ubi dubitare licet, utrum فقبض de rege Almudjahido, an de Scheicho Ismaile dictum sit.

Alios, qui passim leguntur, locos huc facientes afferre piget. Atque videor equidem mihi hoc in plurimis Arabum historicis observasse, eos nimium abrupte saepe ab alia persona ad aliam transire, unde difficultas saepenumero oritur, et, quamquam crebro littera ف praeposita indicent orationem ab altero ad alterum transferri, tamen, et hanc non semper esse antea positam, et non raro, etiamsi posita sit, orationem ad eundem, de quo sermo sit, esse referendam.

Auctori nostro hoc præcipue videtur curae fuisse, ut, quæcunque laudabiliter a singulis regibus vezirisque essent gesta, hæc copiosius describeret, quæ perperam, paucis tantum verbis attingeret. Cum autem rerum divinarum cura prae reliquis virtutibus hominum famam augeat atque præclaram animi indolem demonstret, numquam scriptor hic omisit, quae academiae, templave a singulis imperatoribus exstructa, et

quaecunque in Dei honorem facta sint, uberrimo verborum ornatu illustrare. Nam ubi regis cujusque imperium et res gestas descripsit mortemque principis enarravit, ita pergit: ومن مآثره الدينية (et ex praeclaris ad religionem spectantibus ejus factis) jamque templa et caetera aedificia in Dei honorem perfecta ad unum omnia recensentur; quin eo saepe progreditur auctor, ut non solum, quae ab ipso rege, sed etiam, quae a cognatis ejus, matre, uxore, filiis aedificata sint, exponat, neque ea solum, quae nova condita, sed etiam quae, vetustate collapsa, refecta sint, et qua ratione, quae cujusque partes, uberrima persequatur oratione. Cujus quidem rei non opus est afferre exempla, videas, quaeso, locum quemcunque, ubi regis alicuius imperium ad finem usque deductum est, et vera me contendere invenies.

Quemadmodum Arabum mos est, cum de propheta Muhammede vel aliis hominibus de religione aut civitate bene meritis, iisque defunctis, mentionem injiciunt, postquam virorum nomina protulerunt, Deum ut gratia atque favore eos prosequatur, orare: ita noster quoque hunc gentis suae usum minime neglexit: sed ulterius etiam processit, idque in hoc codice saepius, quam in aliis, quos inspicere mihi licuit, locum videtur habere. Nam, ubi res magni momenti, praecipue vero magnae calamitates velut incendia, penuriae, pestes, inundationes, portenta narrantur, ibi continuo, re exposita, laus Dei atque potentiae ejus sequitur, precesque ad eum funduntur, ut in posterum haec mala ab hominibus avertat. Id quod ab aliorum populorum more non abhorret. Eiusmodi est illud Germanorum: «Deus nos tueatur», alia. Tales dicendi for-

mulae in nostro saepissime occurrunt, cum hac statim, eaque prae aliis crebro, utatur formula: ونسال الله العفية والسلامة, mox وما حول وما قوة الا بالله, tum quoque وسبحان الخالق لماشاء. Si locos, ubi tales formulae adduntur desideras, confer codic. pag. 37, 13. p. 42, 13. et 14. p. 46, 6 et 7. p. 47, 15. p. 48, 16 et 17. p. 49, 10 a. f. p. 50, 21. p. 58, 42 multosque alios.

---

§. 4.

De scriptoribus, quos auctor noster potissimum secutus est in libello componendo.

Transeamus jam ad auctores recensendos, quibus noster in historia consribenda usus est, et quos ex ipso codice, ubi passim commemorantur, eruimus. Monendum autem mihi est antea, facultatem mihi quidem ipsi non fuisse datam neque Hadji Chalifam, neque Ibn Chalecanum, celeberrimos illos de Arabum scriptoribus auctores, inspiciendi, sed clarissimum Hamakerum, professorem Lugdunensem, rogatu clarissimi Freytagii, praeceptoris mei summe reverendi, singulari benignitate cum de plurimis horum scriptorum, tum de aliis nonnullis rebus complura scitu digna mecum communicasse.

1. Ibn Almelhuz ابن الملحوز, nomen dubie scriptum, ita ut littera postrema aut ز aut ن esse possit, sed idem vocatur alio loco ابن الملحوز, quae lectio fortasse est praeferenda. Memoratur libri eius titulus, at perperam scriptus et signo spuritatis affectus: المسمصة نصا, qui quo-

modo legendus sit, mihi non constat. Had. Chal. eum non memorat. vid. cod. p. 7, 33 et 8 prima

2. Ibn Almahawi ابن المحاوى. De hoc nihil notum.

3. Ibn Abi Haitsama ابن ابى حيثمة; et hic ignotus est, nisi fortasse هيثمة loco حيثمة legendum est. cf. Ham. specimen cat. p. 223 not. 653.

4. Ibn Abdallah Almudjid. Noster falso scripsit «Almuhid.» ابن عبد الله الماجيد. Annalium ejus titulus memoratur cod. p. 18, 9. بهجة الزمن i. e. exhilaratio temporis. Teste Hadj. Chal. integrum ejus nomen fuit: ضياء الدين عبد الله بن محمد المعروف بابن عبد الماجيد; idem chronici titulum laudat بهجة الزمن فى اخبار اليمن, sed de auctoris aetate nil allegat.

5. Abu Bekr Baihakensis ابو بكر البيهقى E tribus viris, nomine Baihakensis a Baihako, tractu Chorasanae, insignitis noster est ille, cuius integrum nomen ab Abulfeda in Ann. lib. Moslem. t. III. p. 206. «Abu Bekr Ahmed b. Alhusain b. Ali Albaihaki» memoratur. Idem Cosrudjerdensis ab urbe Chosrudjerd, in tractu illo sita, nominabatur. Vixit ab anno H. 384. usque ad 458 et scripsit: دلايل النبوة i. e. demonstrationes veritatis prophetae Muhammedis, quemadmodum cum nostro Hadj. Chal. et Abulfeda narrant, atque hunc librum Abdorrazako (عبد الرزاق) dedicavit, ut noster p. 3 l. 2 perhibet. cf. Hamak. l. 2. p. 152 not. 555. De aliis ab eo compositis libris vid. Abulf. l. 2.

6. Abulhasan Ali b. Hasan Alchazrâdji المورخ الكبير النسابة ابو الحسن على بن حسن ,راجى الخز gaudebat cognomine ابن الوحام, et mortuus est, teste Hadj. Chal. a. 812. Exemplar libri ab eo compositi in bibliotheca Lugdunensi, nec tamen

integrum exstat, ut cl. Hamaker me monuit. Hadj. Chal. refert, tria chronica ab eo esse composita, unum secundum annorum seriem, alterum secundum hominum ordinem, tertium secundum dynastiarum familias.

7. Abu Näim Abfadhl b. Dakin ابو نعيم الفضل بن دكين. Vox novissima perperam scripta. Ex cod. p. 3, 24 apparet, eum annales conscripsisse. Ceterum nihil de eo habemus compertum.

8. Aschscherif Idris b. Ali b. Abdallah الشريف ادريس بن علي بن عبد الله Haec de eo Hadji-Chalifa retulit. كنز الاخبار مولف لطيف فى التاريخ لزين الدين بن بشرويه البلخى ذكره ادريس بن على المورخ فى تاريخ اليمن وقال جمع فيه لب تواريخ عديدة كنز الاخبار ولواقح الافكار مولف فى التاريخ باللغة التركية تاليف مصطفى جلبى بن ادريس الشهير بعلى زاده الرومى المتوفى سنة احدى والف جمع فيه لب تواريخ كثيرة وجل فصول الحل والعقد ذكرفيه سبب انقراض الدول وكان الداعى الى تاليفه ما راه من وقوع الاختلال فى عصر السلطان محمد بن السلطان مرادخان. 1) Kens ol Achbar (i. e. thesaurus historiarum) parvum volumen de annalibus exponens, scriptore Zeinoddino Ben Bascharwaih Balchita, quem memoravit Idrisus ben Ali, chronicus de Jemana referens, dicens: collegit in eo medullam chronicorum multorum. 2) Kens ol Achbar walawakih, ol Afkar (thesaurus historiarum et fœcundantes ingenium) in forma chronici composita in lingua Turcica scriptore Mustafa Dschelebi b. Idris nomine Ali Sadeh noto, Graeco, qui obiit a. 1001. Collegit ille in hoc libro medullam chronicorum multorum et praecipuorum et causas ruinae regnorum enarravit. Causa chronici componendi ei fuit turbatio rerum, quam vidit, tempore Sultani

Muhammedis ben Sultan Murâdchan. Addit cl. Hamaker, cui hunc locum debemus, ex sua quidem opinione illum Mosthafium Dschabbalitam forte distinguendum non esse ab Idriso b. Ali, ante nominato, in quam sententiam libenter discedo.

9. Zeinoddinus. زين الدين. Hic idem videtur esse, quem Hadj. Chal. in loco nuperrime transcripto laudat, cuius chronicon itidem كنز الاخبار inscriptum erat.

10. Alimam Aschschafei الامام الشافعي.

11. Attermedsi الترمذي. Complures auctores hoc nomine insigniti inveniuntur. Hoc loco intelligendus est is, cuius integrum nomen fuit: Abu Isa Muhammed b. Isa b. Sauda Attermedsi. Obiit anno 275 aut 279. Auctor fuit tertii syntagmatis traditionalis: الجامع الصحيح, quorum duo priora composuere Bocharius et Moslemus (de quibus paulo post). Idem scripsit الشمايل المحمدية quamvis Hadj. Chal. hunc librum alii auctori ejusdem nominis, a. 215 mortuo, adscribit. Tituli librorum in nostro occurrunt.— De Termedsio cf. Abulf. A. M. t. II. pag. 274. et notam Reiskii p. 725, quam jam laudavit una cum aliis locis consulendis Hamakerus l. l. p. 28. not. 77.

12. Djemaloddinus Abdolbaki b. Abdolmudjid العلامة جمال الدين عبد الباقي بن عبد المجيد القرشية recensetur ab H. Chal. inter auctores Jemanenses et obiit, eodem referente, a. 743.

13. Alhakem الحاكم, cujus integrum nomen fuit Abu Abdollah Muhammed ibn Abdollah, notus cognomine Alhakem, Nisaburensis. E compluribus, quos composuit, libris a nostro memoratur الاكليل id est الاكليل لحديث. Vixit ab a. 321—405,

et praecipue insignis fuit studio Haditsi. cf. Hamak. l. l. p. 163. Not. 585, ubi alia ab eo scripta commemorantur.

14. Alhafidh Schehaboddinus filius Hadjri الحافظ شهاب الدين بن حجر. Verum ejus nomen fuit Abulfadhl Ahmed ibn Ali Askalonita ibn Hadjr, et teste H. Chal. cognomina شهاب الدين et الحافظ gessit. Obiit anno 852. cf. Hamak. l. l. p. 193. not. 645. et p. 223. Si nomen Haitsimae [de quo supra no 4.] هيثمه loco حيثمه legi potuerit, ille fortasse idem cum hocce Ibn Hadjr esset, ut qui cognomen Haitsamii habuisse videatur. [vid. Hamak. l. l. 223.]

15. Alhafidh Nafisoddinus Alalewi الحافظ, نفيس الدين العلوى cf cod. p. 7, l. 10. Ceterum mihi quidem nihil nec de eo nec de eius libro innotuit.

16. Hassan b. Iesid حسان بن يزيد, mihi ignotus est.

17. Sofjan Atstsauri سفين الثورى, ita scribitur in codice nostro, quod idem est ac سفيان quo nomine appellatur celeberrimus traditionum magister, de quo Hamak. retulit in Pseudowakidio p. 138. Hoc teste Sofjanus cognomen Atstsauri accepit a Tsauro b. Abd Menat, quippe a quo originem duceret. Natus est a. 95, 96 vel 97 et obiit Basrae a. 161. Fusius de eo disputat Hamak. l. l. sed an scripta huius auctoris exstent, non liquet.

18. Scherfoddinus Ismaïlus b. Abi Bekr. Almokri شرف الدين اسمعيل بن ابى بكر المقرى, fuit auctor chronici Jemanensis, et obiit, teste H. Chal. a. 837.

19. Afifoddinus Ohtsman b. Muhammed Annascheri عفيف الدين عثمان بن محمد الناشرى, distinguendus

est a duobus aliis cognomine النّاشرى utentibus, quos Hamak. in spec. cat. p. 193 commemorat. Noster, teste H. Chal. auctor fuit chronici Jemanensis, sed quando vixerit, non traditur.

20. Alfakih Amarah Jemanensis الفقيه عمارة اليمانى, quem eodem modo, atque noster, Abulfeda praecipue in veteri historia Jemanensi enarranda secutus est. Herbelotius (v. Amarah) ex uno fecit duos, quod jam Reiskius cum in notis ad Abulfedae A. M. t. IV. p. 642. n. 9, tum in Herbelotii bibliotheca, in linguam patriam versa, ad vocem Amarah bene annotavit. Integrum Amarae nomen fuit Nadjmoddinus Abu Muhammed Amarah Ibn Abilharan Ali ibn Bedran, teste Ibn Chalican vel, ibn Reidan, secundum H. Chalifae. Ibn Chalican narrat, eum in urbe Herthan (هرطان) in valle ينياع in Jamana sita, degisse, ac postea a. 529. ad virilem aetatem provectum, biennio praeterlapso, Zebidum migrasse. Peregrinatione Meccana a. 549 perfecta eum anno insequenti ab Emiro Meccae in Aegyptum ad Chalifam Fatemidam Alfager ibn Thaher et Vezirum Assalih b. Razik missum esse, legatione functum Meccam rediisse, deinde alteram in Aegyptum legationem suscepisse, ibique usque ad mortem [a. 569] degisse, refert. Cf. etiam A. M. t. IV. p. 8, ubi narratur, qua ratione obierit. Chronicon eius inscriptum fuit: كتاب اخبار اليمن et praeterea scripsit, teste Ibn Chalican النكت العصرية فى اخبار الوزراء المصرية, quem librum H. Ch. perperam Nadjmoddino Ahmedi b. Ali, cognominato Ibn Amarah Jemanensi, defuncto a. 869, tribuit.

21. Albeha Aldjennadi, i. e. ex urbe Djennad oriundus, vulgo Djennadi dictus, البها الجندى

videtur scriptor magnae apud veteres auctoritatis fuisse; noster enim hunc non minus quam Amaram prae reliquis secutus est. Sed cum desint lexica Hadji Chalifae et Ibn Chalicani, nihil ea de re affirmare possum.

22. Bocharius et Moslemus auctores corporum traditionum, quae صحيح nominantur. Prioris nomen integrum fuit: Abu Abdollah Muhammedes b. Ismail Aldjofi. In Abulfedae A. M. II. p. 236. Bocharius ipse de libro suo loquens inducitur, quo loco dicit, se ex pluribus quam sexcentis millibus traditionum eum compilasse, neque quidquam falsi immiscuisse, et hac de causa titulum صحيح (verum, integrum) adscripsisse. Vixit ab anno 194—256. Vide praeterea loca laudata ab Hamakero in spec. catal. pag. 28. n. 79. et Lemmingio in comment. de b. Abu Scherif p. XXVII.— Quem posuimus secundum, gaudebat ille nomine Abulhassani Moslem b. Hedjadj Nisaburensis, qui suum traditionum syntagma e tercentum millibus traditionum collegit. Mortuus est a. 261. Ambo libros suos secundum doctrinam Ibn Hanbali componsuerunt. vid. Hamak. l. l. et locos ab eo excitatos.

23. Ben Haban بن حبان. De hoc nihil invenio.

24. Djauhari. De celeberrimo hoc lexici الصحاح في اللغة auctore, cujus integrum nomen fuit Abu Nasr Ismail b. Hamdan [aut Hamad] Aldjauhari [nonnulli addunt Atturki], et qui in urbe Turcica, Farab [فاراب, Abulfedæ ævo اطرار dicta] natus, Nisaburae a. 398, vel 391, vel 400, vel 393 [maxima est enim inter auctores dissensio] obiit, cf. Hamak. l. l. p. 48. sqq. et locis

ab eo laudatis adde Meninsk. proleg. ad lex. Pers. p. XXXVI, Derossi Dizionario, 82. sqq.

§. 5.

De ratione, qua horum scriptorum dicta in usum suum convertit auctor.

Cum contenderim, auctorem omnibus his, quae laudavi, scriptis usum fuisse in historia conscribenda, hoc tamen deprecor, ne quis putet omnes hos scriptores in pari dignitatis et auctoritatis gradu ab eo esse collocatos. Sunt enim, quos perraro aut semel tantum excitet, sunt etiam, quorum dicta ubique fere adhibeat atque in rem suam convertat. Huc praecipue pertinent Albeha Aldjennadi, et Fakihus Amarah Jemanensis, nec non Abulhassan Ali b. Alhassan Alchazradji, vulgo Alchazradji dictus, Zeinoddinus et Scherifus Idris b. Ali b. Abdollah. Ceteri raro tantum nominantur.

Ratio, qua auctor horum scriptorum dicta in usum suum convertit, docet, cum maxima diligentia atque prudenti rerum delectu in libro consribendo usum fuisse. Etenim non solum, quod unus alterve horum scriptorum de re quadam narraverit, in lucem profert et colligit, sed maximo etiam ingenii acumine eorum dicta in judicium vocat et, quae vera, quae falsa habenda sint, diiudicat. Raro tantum hoc accidit, ut in neutram inclinet sententiam, siquando discordes sunt auctores, suumque de re judicium retineat. In iis quoque rebus, quae nobis levioris videntur momenti, velut templorum exstructorum aut instauratorum

historia aliisque hujuscemodi indagandis, eadem diligentia scriptorum sententias explicat, falsas reiicit, veram depromit. Nequaquam vero, cum alius diversam cuiusdam a sua sententiam profert, superbe eam aspernatur. Tantum abest, ut ea, quae ipse contenderit, extra omne dubium vera esse seque omnino falli non posse putet, ut, quotiescumque suam sententiam aliis opponat, atque disputationem ad finem perducat, postremo addat: »at Deus optime scit.» Utitur tum formula: والله اعلم, eaque quam frequentissime, tum quoque والله الموفق والهادى للرشيد i. e. «at Deus ad rectum dirigit.»

Reliquum est, ut exemplis nonnullis probemus, auctorem hac ratione in codice conscribendo usum fuisse. P. 14. l. 5. a. f. affertur narratio Amarae. قال عمارة dicit Amara cett. p. 15, 11. a. f. eiusdem auctoris sententia affertur, sed in iudicium non vocatur, quoniam Amara, quae suis ipse oculis conspexit, tradit, quare ea vera habenda sunt. Deinde p. 15, 3 seqq. vita Saruri ex Amarae narratione copiosissime describitur, neque quidquam falsi huic auctori imputatur. Item p. 8, l. 10—36 auctor in rebus enarrandis Djennadium sequitur, nisi forte ipsius verbis usus est, neque quidquam addit, quando in Djennadii historia nihil neque desideratur neque vituperandum est. L. 36. autem, quae ipsi adhuc nota, a Djennadio vero omissa sunt, addit, deinde l. 38. concludit: »at Deus optime novit,« tum vero, ut ne quid, quod ad eamdem rem pertineat, omittat, quae Ben Abdollah Almudjid praeterea narraverit, apponit, denique, cum ne Almudjidi quidem narratio omnino recta ipsi videatur, nova denuo addit l. 39. Totam

disputationem rursus claudit verbis: الله اعلم. P. 9, 17. notat, vocem نفيسا a Djennadio falso modo esse scriptam. p. 3, 29. sententia Hakemi falsa arguitur; p. 8, l. 3. sententia ab Abulhasano Alchazradji prolata reiicitur.

Verum non puto, operae pretium me esse facturum, si plura etiam afferam argumenta, quae mecum faciant, quamquam multa sint in promptu, v. c. p. 21, 10, 13 et 17. p. 17, 16 usque ad 18, 13. Res per se constat. Scilicet auctor, ubi reliquorum dicta laudat, tum suam addere solet sententiam, tum vero nova quoque proponere, quae ab aliis nonnunquam testibus praesentibus (oculatos dicunt) acceperit. cf. p. 16, 10. p. 17, 8. a. f.; quae quidem res saepissime a rerum exponendarum ordine deflectere eum cogit, ita ut v. c. templi historiam, occasione oblata, ad finem usque persequatur. Talia ad historiam, ut ita dicam, additamenta, sive excursns, tamquam uncis includendi sunt a lectore, ne eum magnopere offendant. Saepe auctori ipsi in mentem venit, se longius ab ipsa historia digressum fuisse, tum in fine dicit, uberius se hac de re verba fecisse, clauditque parenthesin formulis nonnullis saepe repititis, velut ولكن ما يخلو من الفايدة vel والله الموفق والهادى للرشيد, vel والحمد لله, occurrit etiam والله اعلم (vide p. 21, 18. p. 18, 13. p. 24, 6 a. f. p. 9, 17. p. 16, 9. alia). Qua re cum nonnumquam partem quandam historiae postea demum explicandam sibi ipse praeripiat, ubi ad id tempus pervenit, qno ea res, maturius narrata, pertinet, mentionem eius iam factam esse indicat verbis: المقدم تاريخه aut للتاريخ المذكور, aliisque huius generis.

Quoniam ex iis, quae diximus, plane videtur

patere scriptorem ab imperiis regum eorumque rebus gestis non raro ad res minoris momenti se convertisse, easque uberrima, ne dicam iusto uberiore, oratione persecutum esse, haud scio an, qua ratione historiam se tractaturum esse in praefatione dixerat, eam revera parum observarit. Exponit enim p. 1. fine ولم اقصد التطويل والاكثار ان المراد حفظ ملوكها [زبيد] وولاتها منذ اختطت الى زماننا «Non studui et rerum et verborum nimiam ubertatem cum mihi sit consilium, reges et imperatores ejus (Zebidi) a primis initiis ad meum usque tempus recensere.» Atque ne quid omittamus, hoc etiam est animadvertendum, scriptorem libris illis, quorum auctores enumeravimus, non nisi in antiquiore historia scribenda usum fuisse; nam disertis verbis ait, de dynastis Benu Thaher ante se neminem scripsisse, semet ipsum vero, quae narraverit, a praeceptoribus fide dignissimis (مشايخى المحققين) accepisse, iisque additamenta adiecisse (p. 1. l. 7 infr.).

Quod permultis accidere solet historiarum scriptoribus, ut quo propius ad suam accedant ætatem, eo accuratius et copiosius singulas quasque res gestas exponant *), id nostro quoque evenit, qui, ubi propius suum tempus attingit, eo usque processit, ut singulos annorum menses, singulos mensium dies persequens, quae quovis die facta sint, fuse narret, idque, ut fit, quoniam temporis proxime præterlapsi perfectiorem quisque habere solet cognitionem, a nostro etiam

---

*) cf. v. c. Livium, cujus decas secunda iam multo uberius singulas res exponit, multoque major est, quam prima eaque ubertas continuo augetur.

erat exspectandum. Itaque in ultima libri parte regnum dynastarum Benu Thaher describit atque eius quidem descriptio præcipua fuit auctori causa totius libri componendi, quod ipse indicat: p. 1, l. 28. وكان من اعظم البواعث لى على ذلك انى لم اجد احـــدا ممن تقدمنى ارخ دولة ملوكنا ايمة الزمن وعظمـــاء مـلوك اليمن اهل الملك القــاهر والعز البـــاهر والاصل الطاهر والعدل الظاهر الملوك بنى طاهر

Manifestum est ex recensione earum rerum, de quibus auctor codicis nostri egit, nihil ab eo dictum esse de statu tractus Jemanensis ante Islamismum. Fieri autem solet, ut, qui hanc posteriorem Jemanae historiam cognoscat, scire etiam cupiat, quae prior fuerit huius provinciae conditio, ut ordine a primordio usque ad finem Jemanae res tamquam legentis oculis subiiciantur. Quare consilium cepimus, historiam, quam dicunt, anteislamiticam, paucis enarrare, quamquam videbimus postea veram certamque eiusmodi ante Muhammedem historiam non exsistere. Sed priusquam ad hanc rem accedamus, breviter chorographiam huius terrae adumbrabimus, præsertim cum libello indicem geographicum subjungemus, ad quem intelligendum opus sit, ut de singulis terrae regionibus antea dictum sit. In iis autem recensendis clar. Niebuhrium ut ducem certissimum, potissimum secuti sumus.

---

§. 6.

De finibus et conditione Jemanae.

Omnis ea provincia, quae nomine Arabiae felicis appellatur, ad occidentem tangit sinum

Arabicum, ad meridiem Oceanum, ad orientem provinciam Hadhramaut, ad septentrionem Hedjasum. Scriptores Graeci, Eratosthenes, Strabo, Ptolemaeus primi universam Arabiam tribus contineri partibus dicebant, quas nominarunt: Arabiam petraeam, desertam, felicem. Haec partitio deinde ad nos quoque pervenit, merito, necne dubitare licet. Admodum vero ab his scriptoribus discrepant gentes Orientales, ut pote quae eam tantum Arabiae partem, quam hodie «felicem» appellamus, Arabum esse contendant, reliquam terram, quam nos Arabibus adscribimus, aut Aegyptiacis aut Syriacis finibus annumerandam esse existiment. Quapropter Orientales terram rabum nomine peninsulae insigniebant [جزيرة العرب], quoniam, quaecumque extra ultimos sinus Arabici Persicique fines sita erant, ad Arabiam eis non videbantur pertinere. Universum hunc tractum quatuor constare partibus aiebant, quae sunt, Albarain, ad sinum Persicum, Oman, in parte australi et orientali, Jemana, in parte australi et occidentali, atque Hedjaz a septentrione Jemanae ad sinum Arabicum sita *).

Arabia felix ab Arabibus ارض اليمن nominabatur, cuius nominis origo ab aliis aliter traditur. In codice nostro tres afferuntur causae, quare provinciæ huic ea appellatio propria fuerit. Nonnullos dicit contendere Cachthanum, b. Alhamisa b. Iemen b. Tsabit b. Ismail b. Ibrahim ei terrae nomen indidisse, eodem modo quo urbes multæ a viris praeclaris nomen habuerint; qui

*) Cf. Mannert, Geographie der Griechen und Römer tom. VI. p. 4.

autem ille Cachthanus fuerit, an idem, qui in Genesi memoratur, nec ne, non additur. Arbitrari autem alios, significationem vocabuli يمن causam fuisse, quare Jemana, quoniam terra sit beata, divitiisque redundans, nomen acceperit. Alios denique inde vocis originem petere, quod Jemana a dextra Caabae parte sita sit; propriam enim vocabuli يمن significationem esse «partem dexteram». *) Quarum equidem sententiarum postremam prae reliquis probandam censuerim, ea causa commotus, quod Syria ab iisdem Arabibus nomine Scham, شام (i. e. pars sinistra) insignitur, quippe a sinistra Caabae parte sita.

Vox Jemana apud veteres usurpata fuit et sensu ampliori et strictiori; etenim cum tota illa provincia, cuius fines nuperrime circumscripsimus, tum pars tantum eius provinciae appellatur Jemana, quae quidem res cum nonnullos fugerit, non nihil negotii interdum quibusdam facessere visa est, eoque magis nobis fuit annotanda **). — Jemana, sensu ampliori accepta, ab ipsa natura in duas distributa est partes, quarum altera montibus altis abundat, et hanc ob causam nomen Djibal (جبال) accepit, altera, ad sinum Arabicum sita, pro rei natura plana et infoecunda, nomine Tehajim aut Tehama (تهايم - تهامة) insignita est, quam vocem Buschingius docet a natura regionis desumtam esse, atque terram inferiorem, mare attingentem significare. ***)

*) Cf. cod. p. 2, 8 a. f.

**) Cf. Büsching Erdbeschreibung, Asien Tom. X. p. 642, 643.

***) L. l. p. 649.

Auctor codicis nostri et ipse hujus bipartitæ divisionis mentionem iniicit, dicens, Jemanam continere partem inferiorem et superiorem *).

Haec provincia tantum abest, ut tota uni imperatori sit subiecta, ut singulis partibus singuli praesint reguli, immo ut in uno eodemqne tractu non raro complures Scheichi, (s. principes) quorum alter alteri numquam paret, reperiantur. Idque in singulis provinciae partibus iam recensendis, semper animadvertemus. —

Maxima Jemanae pars est Jemana sensu angustiore posita, cui Imamus Sanaae habitans, imperat. Pertinent ad eam plurimae et Tehamae et Djibalis partes hoc modo, ut fines ejus sint versus septentrionem provincia Haschid u Bekil (pars Djibalis) ad meridiem Belad Aden, ad orientem provinciae Joafaa, Hadhramaut et Chaulan, ad occidentem sinus Arabicus. Vergit enim provincia a Babel Mandelo in longitudinem quadraginta octo milliarium versus septentrionem, latitudo vero viginti milliaria non excedit. **) Flumina eius terræ maximam quidem partem exigua sunt, cum plurima in montium iugis orta, nisi multo pluvia turgeant, non fluant, sed vel tum parvum tantummodo spatium peragrantes arena hauriantur. Pauci tantummodo fluvii inveniuntur, qui arenam superantes cursum a Djibale in Tehamam indeque in sinum Arabicum continuant, in quibus numerandi sunt Wadi Kebir, Wadi Zebid, Wadi Mectan, Wadi Rama, Wadi Schan, alii. (Omnes scilicet fluvii nomine

*) Cod. p. 2. l. 4. a. f.

**) Cf. Niebuhrii descriptio Arabiae p. 659.

وادى audiunt, quae vox proprie vallem ad fluvium sitam, significat.)

Diximus supra, Jemanam, sensu strictiori positam, Imamo esse subiectam. Imamus (امام) proprie antistes sacrorum appellatur, et quoniam regis Jemanensis munus est atque mos, ut in ceremoniis in precibus observandis incolis praeeat [quemadmodum inter omnes Muhammedicae religionis gentes dignitas regia cum officio sacerdotali coniuncta erat] propterea dominus hujus etiam tractus Imami titulum sibi assumpsit.*). Initia imperii Imamici incidunt in tempora Chalifatus Almostadhii Abbasidae. Quamquam Imami satis magna utuntur potestate, regiae tamen majestatis speciem prae se non ferunt, sed communem potius hominum consuetudinem in plerisque sequuntur. Etenim non solum, quemadmodum observavimus, pro populo preces publicas peragunt, ipsique concionem sacram habent, sed aegrotos etiam visitant, funerum feretra ad sepulcra sequuntur, ibique preces fundunt, eodem cum Arabibus vestitu utentes. Omnes, qui exstitere Imami, ut viri docti fortesque celebrantur, sed prae reliquis excelluere Almuajjid Billah, Almensur Billah, Almohdi Billah, Almothahher Iahja b. Hamza. Indicat autem regiam eorum dignitatem id tantum, quod tribus equitum millibus stipati sunt. Omnium Imamorum primus fuisse dicitur Jahja Alhadi b. Alhosain Azzahed b. Abu Mohammed Alkasim Azzeidi b. Ibrahim Thabathaba b. Ismail Addihadj b. Ibrahim Almagmar b. Alhasan Al-

*) Cf. Nieb. l. l. Voyage de l' Arabie heureuse p. 129, p. 213, 214.

motsanni b. Alimam Abu Muhammed b. Ali b. Abu Thaleb. *)— Imami Jemanenses vero appellantur Chalifa quoque et Emirolmuminin. Qui porro Imamo parent, amplectuntur illi maximam partem fidem Islamiticam, sed in duas rursus sectas sunt divisi: nam alii sectae Sunni sunt addicti, alii Zeïdi. Imamus hodie regnans est e numero Zeiditarum. **)

Solum huius regionis frugibus cuiuscunque generis abundat. Frumentum et in Tehama, et in Djibale invenitur, arboribus frugiferis nonnullæ Djibalis partes præcipue excellunt, equi nobilissimi passim exsistunt. Tehama vero a Djibale fertilitate longe superatur, partim quod maris oram attingit, partim quod fluviis eget. Duo montes præ aliis excelsi sunt, Sabber prope urbem Taaz, et Sumara inter Mechader et Jerim situs.

Sex provinciæ in Tehama sitæ pertinent ad Jemanam, in Djibale viginti quatuor, quas paucis recensere animus est.

Ad Tehamam pertinent:

1) Moccha, a sinu Arabico, pagis Belad Aden, Belad Ibn Aklan et Oesab Masfal circumscripta.

2) Oesab Masfal, tangit Moccham, Belad Ibn Aklan, Oesab et Ala et Zebid.

3) Zebid, inter Oesab et Asfal et el Ala atque Beitelfakih sita.

4) Beitelfakih, inter Zebid et Loheiam.

---

*) Cf. Hamakeri specim. catal. p. 214.

**) De sectis Sunnitarum et Zeiditarum cf. Niebuhr l. l. p. 18—21. praeterea vide p. 183. et quae infra disputabimus.

5) Hodeida, paululum septentrionem versus respiciens.

6) Loheia, versus septentrionem pagum Abu Arisch respiciens.

Ad Djibalem pertinent:

1. Sanhan inter pagos Hamdan, Deiban, Chaulan, Belladanes et Heime sita. Caput huius tractus est Sanaa, urbs celebratissima, sedes Imami (vid. ind. geogr.)
2. Belladanes, pagis Rema, Oethuma et Mecharebelanes clausa.
3. Rodda, tangit versus septentrionem Chaulan, versus orientem Jafaam, et prae aliis frumenti copia gaudet.
4. Mechareb el Anes, inter Sanaam, Beladanes et Jerim sita.
5. Oethuma, a pagis Beladanes, Rema, Oesab et Mechareb el Anes circumscripta.
6. Jerim septentrionem versus Mechareb el Anes respicit.
7. Mechader, a meridie tractus Jerim.
8. Jemen ala, a meridie Mechader.
9. Kataba, ab oriente et meridie Jemen ala.
10. Taaz inter Jemen ala, Uddein, Beni Aklan et Hoedjerie.
11. Belad Hoedjerie, inter Taaz, Katabam, Beni Aklan, Moccham, Jafaam et Belad Aden.
12. Belad ibn Aklan, inter Taaz et provinciam Tehamam.
13. Uddein, ab occidente Jemen ala.
14. Oesab el Ala, confinis Zebido.
15. Kusma (Kusumma), ab oriente Beitelfakihi.
16. Djebi, a septentrione Kusmæ, quæ ambæ coniunctim Reima vocantur.

17. Hofasch, inter Loheiam, Djebi, Harraz et Kaukaban.
18. Harraz cum magno monte eiusdem nominis, a meridie Hofaschi.
19. Heime el Asfal, inter Harraz, Heime el ala et Belladanes.
20. Heime el Ala, inter Sanhan, Heime el asfal, Harraz et Kaukaban.
21. Tulla, inter Kaukaban, Hamdan et Amran.
22. Hamdar, inter Kaukaban, Sanhan, Roddam, Haschid u Bekil, Amran et Tullam.
23. Amran, pars provinciae Haschid u Bekil.
24. Chamir, itidem in provincia Haschid u Bekil sita.

En conspectum eorum tractuum, qui Imamo erant subditi. Sunt quidem inter hos, qui a proprio regnentur Scheicho; sed Scheichum hunc vicarium Imami, quem »Dolam« dicunt, in terram recipere eique domicilium praebere coëgerunt, ita ut nequaquam sui juris putandus sit. Quae vero jam sequuntur regiones, hae a ditione Imami plane immunes suique juris sunt.

Belad Aden, inferiorem Jemanae partem occupantes Oceanum attingunt. Exponam de tractu in indice geogr., quem vid.

Kaukaban, in medio Imami regno in limite Tehamae sita. Imperator hujus tractus ab ipso Muhammede se oriundum esse gloriatur, et antea multas Imami urbes sibi aliquando arrogavit. Hodie vero, cum imperium ejus aliquantum imminutum sit, titulo Imami abiecto, Sajjid (dominus) tantum nominatur *).

---

*) De titulis Arabum vid. Niebuhr l. l. p. 11. sqq.

Haschid u Bekil, vel Belad el Kobail, a septentrione ditionis Imami, et ab oriente pagi Abuarisch. Satis magna est hæc provincia, in qua multi regnant Scheichi, alter ab altero non pendens. Omnes autem Imamo non sunt subditi, exceptis regulis Hamdani et Amrani, de quibus antea diximus. Ceteri foedere coniuncti sunt, ut, cui rei singuli pares non sint, eam coniunctim perficeret valeant, ut Imamo scilicet resi stant, si quando eos invadendi consilium ceperit. Niebuhrius quatuordecim Scheichos, in hac provincia regnantes recenset. Haschid al Bekil duorum fratrum nomen fuisse narratur, qui provinciæ hoc nomen indiderint, cuius rei historiam narrat Nieb. p. 260.

Abu Arisch, pagus Tehamæ a septentrione Loheiæ. De hoc agemus in indice geogr.

Pagus inter Abuarisch et Hedjaz, nomine carens, Scheichis immunibus subditus. (Noster eum Bick nominat.)

Chaulan, in media via inter Sanaam et Meccam, ab occidente Saadæ.

Sahan, regio montana inter Haschid u Bekil et Hedjaz. Caput eius fuit Saada, de qua vide indic. geogr.

Nedjeran, de qua in indice agemus.

Kachtan in itinere Nedjerano Meccam ducenti, trium dierum spatio a Nedjerano remota.

Djof, inter Nedjeranum et Hadhramaut, porro, inter Haschid u Bekil et magnum illud desertum inter Jemanam et Oman sita, maximam partem plana et arenosa, quamquam frumento non destituta atque equis et camelis excellens. Regio Djof in tres rursus partes est divisa, quarum singulae singulis obediunt Scheichis.

Nehm, inter Djof et Haschid u Bekil.

Chaulan, altera hujus nominis regio, prope Sanaam sita.

Jafaa, inter Aden, Hoedjerie, Malabam, Roddam et Hadhramaut iacens, quae antea Imamo paruit, sed octoginta abhinc annis suae ditionis facta a tribus regnatur Scheichis.

Haec fere de Jemana nostri *) memoriae prodiderunt; quibus expeditis, de ratione, quam in regione sua dividenda sequuntur Jemanenses ipsi, breviter disputabo, iis potissimum monitis usus, quae Hamakeri Viri cl. benevolentiae debeo.

In codice nostro saepe vox مخلاف Michlaf legitur, ita quidem, ut modo aliquam Jemanae partem in universum significet, cum nomen hujus partis additum sit (مخلاف جعفر p. 8, 18. مخلاف السليمانى p. 8, 23. p. 16, 25. مخلاف منبع p. 37, 6 cett.] modo vero certae cuiusdam partis vocabulum esse videatur. [غزا الجبال والجند والمخلاف p. 16, 11. وطلع المخلاف p. 16, 22.) Firuzabadius haec habet: والمخلاف الرجل الكثير الاخلاف والكورة ومنه مخاليف باليمن, id est: »Almichlaf est vir multum fidem fallens, tum quoque pagus; hinc Jemanae partes Mechalif sunt dictae.« Etenim كورة, quo Firuzab. utitur \ Persis idem est, ac Jemanensi-

*) Niebuhrius scilicet, ut ante iam indicavimus. Hunc secuti eas regiones, quas Büschingius Arabiae felici praeterea assignat, Hadhramautum, Schadjar Makrah, Oman, alias, huc non pertinere censemus, quippe quas Niebuhrius iure suo a Jemana distinxerit. Olim vero Hadhramaut quoque Jemanae adscribebatur, quod apparet ex Nieb. p. 283. et codice nostro p. 3, l. 40.

bus مخلاف, partes Persiae nomine كورة vocabantur, ut Jemanae مخاليف. Idem fere Meninskius e lexico Arabico-Turcico وان قولى inscripto, affert, dicens مخلاف esse Arabiæ felicis idiomate regionem seu pagum, in quales Arabia illa sit distributa.» Et hoc recte quidem. Michlaf fuit vox dialecti Jemanensis, quae optime, me quidem iudice, comparari potest cum Francogallorum «departement». Falso autem, si quid judico, Herbelotius (s. v. Mekhlaf) dixit, hoc nomine arces munitas et castella significari, quae ad maris littora sita sint; nihil enim de hoc Kamusus et Meninski, neque etiam ut iam videbimus, Lexicon Geographicum quidquam eiusmodi habet. Adscribam enim locum satis memorabilem ex hoc L. G., corruptum eum quidem pluribus in verbis, ita tamen, ut sensus in universum appareat المخلاف وجمع المخاليف وهى باليمن بمنزلة
الكور والرساتيق وهى مضافة الى اسماء القبايل التى تسكنونها
او غير ذلك فمنها مخلاف جعفر وهو مولى زياد الذى
اختط زبيد ومخلاف عنه هكذا فى الاصل ومخلاف ابين
قرب عدن به حصون وقلاع ومخلاف لحج بالقرب بين ابين....
مكانه بنوا صبح ومخلاف بيحان له طريقات السحدارة
نهرين [?] فى بيحان وواد اخر وسكانه مراد ومخلاف
المعافر وهم سكانه ومخلاف المتحصين يتصل بالشمول
من شماليها ومخلاف العود ويسكنو العدويون ومخلاف
رعين منه مصانع رعين ومخلاف حسان [جيسان .v جيشان]
وحسان من مدن اليمن ومخلاف رداع وباب مواضع يسكنها
انومان ومخلاف مارب وكان به نخل كثير واكثر تمر
صنعا منها وهى بحذا صنعا وبها جبل الملح وهو جبل فى
الارض يحفر عليه وهو من مارب على ثلاث مراحل خفاف
ومخلاف جبلاه ريمه ذكر فى جبلان ومخلاف ذمار جامعه
يسكنه بطون من حمير نسب المخلاف اليها [و] مخلاف
نفيس كثير الخير ومخلاف الهان اخوه همدان مخلاف
واسع فيه قرى كثيرة مخلاف مقرا [مقرى vel] فيه وادى

رمع ومخلاف حراز وهوزن قبيلتان من حمير وهو سبعة
اسباع ومخلاف حصور متصل بالذى قبله ومخلاف مادن
ومادن من ال ذى رعين ومخلاف امعان [اقتاب forte] بن
رزعة بن سبا الاصغر وبه سنام [شبام lege] قرية فى راس
الجبل المظل عليها قصر كوكبان ومخلاف ذى جرة وحولان
وهو مشرو [مشرق] على صنعا مخلاف حولان بن عمرو ويتصل
به مخلاف اخوتهم ال ذى جرة ومخلاف همدان ما بين
العانط [الغايط?] وتهامة والراة فى شمالى صنعا ومخلاف
جهران بقرب صنعا وفيه قرى ومخلاف البون وهما بونان
فيه قرى وهو من اوسع قيعان بحذا اليمن ومن قراه ريدة
ومخلاف هقدة وهقدة مدينة حولان العظمى وهى بلد
الدباغ فى الجاهلية لانها فى وسط بلد القرظ ومخلاف
وادعة من ناحية نجد وهو واد عربن عمرو [corruptus]
ومنه اعلى وادى نجران ومخلاف نام ومخلاف جنب وهم
ست قبايل جابنوا [جانبوا l] اخوتهم وخالفوا سعد
العشيرة فسموا جنبا ومخلاف سيحان وهم هن جنب
ايضا ومخلاف زبيد واد فيه نخل غير التى فى جبال جشعم
ومخلاف نهد وقريتهم الهجير ولهم محال كثيرة ومخلاف
بنى شهاب بن حولان ومخلاف اقبال بن سان يعرب بن
قحطان ومخلاف جعفر بن سعد العشيرة بينه وبين
صنعا اثنان واربعون فرسخا

Apparet igitur ex his lexici geogr. verbis Michlafum nomen fuisse civitatum et regionum Iemanensium, quod ad nomina tribuum, quæ illas habitabant, vel aliorum, quo Michlafi pertinebant, apponi solebat. Michlafus Djafari bis memoratur, in initio et in fine, atque in priore loco appositum est, Djafarum, unde nomen Michlafo inditum, fuisse clientem Zijadi, conditoris Zebidi, quod iisdem pæne verbis a nostro, p. 8, 17 et ab Albufeda in A. M. commemoratur. De Michlafo Anah nihil præterea notum est, et ipsi epitomatori vox عنه velut nomen Michlafi negotium exhibebat, quare addit: هكذا, فى الاصل i. e. « ita enim in archetypo inveni-

mus.» Abin prope Adenum sitam fuisse, e charta Arabiae in libro Turcico inscripto تاريخ جهان نما apparet. Lahadj ut nomen urbis ex commentariis Niebuhrii satis innotuit. Baihan habitata a tribu Morad (cf. Pocok. spec. p. 42.); Schebwah, a Schebaeis habitata. Moafir tribus fuit Iemanensis, de qua vide Roordae vitam Achmedis Tulonidis p. 71. De voce المتكصبين mihi non liquet. — Aud ab Adawitis culta, cf. Pocokii p. 44. Ruain, vid. Pocokii spec. hist. 106. Habschan ab urbe eiusdem nominis nuncupata. Rodda, ex Niebuhrio satis nota, a Wamaris habitata. Mareb dives palmis, quamquam Sanaa vel ditior est, hic salina exstat, unde sal effoditur, distat Sanaa trium parvorum itinerum spatio a Marebo. vid. indic. geogr. — Djabalan Recima, fortasse cum Niebuhrii Reima coniungenda est. Demar satis nota. Lakis-Alhan-Wasi'-Mukra-Haraz et Hudsan-Hosur-Maden-Iknab, in quo est vicus Schibam; ita omnino legendum est loco سنام, collata Niebuhrii p. 257. — De voce عابط mox insequenti statuere non ausim. Quod de Michlafo Mekdah additur, hunc in modum explicaverim. Mekdah est urbs Haulani (num Chaulani? vid. Pocok. p. 44.) Aladhmari, quæ tempore ante-muhammedanico a coriis concinnandis vocata est Beled Aldibag, in medio enim regionis foliis قرظ abundantis, quæ ad coria concinnanda adhibent, sita est. Fadjad nomen fluvii videtur esse. De Djanale vide Pocokium l. l. p. 44, ubi العشيرة quoque explicatur. Nehd iam supra ex Nieb. excitavi. Ceterum non videtur opus esse, ut singula verba interpretemur.

Cum haec de Michlafis iam scripsissem,

casu quodam in notam celeb. Reiskii incidi, qui docte hac de re disputavit, et eandem fere de voce Michlaf statuit opinionem, quam: modo, protuli. Vide notam ad Abulfed. Annal. M. t. II. p. 125, ibid. p. 664. Comparat ille Jemanensium Michlafos cum vocabulis vernaculis Aemter, Probsteien, Kreise, Drosteien, Vogteien, cum Syriacorum جند, Persarum كورة, ولاية, عمل. Ipse Abulfeda l. l. vocem Michlaf ita explicat: المخلاف عبارة عن قطر واسع » Michlaf est vox significans tractum amplum. » Herbelotium Reiskius etiam improbat *).

In tales igitur Michlafos provincia Jemanensis antiqutus erat distributa, atque singulis hisce aut pagis aut urbibus Imamus singulos præficere solebat. Quodsi autem præter tractum Jemanensem aliæ quoque terræ in Imami potestate erant, universam ille Jemanam uni administrandam tradebat. Imperium Imamicum a patre ad filium, vel a fratre ad fratrem transire solebat, sed ita, ut modo ei, qui potentia aliave ratione regnum sibi vindicarit, filius succederet **), modo a principibus regni quinam filius patrem exciperet, constitueretur ***), interdum quoque pater nondum mortuus filio regnum traderet. Quum hoc, quod postremum posuimus, fiebat, pater filium populo monstrabat, oratione et ad populum et ad filium habita, qua utrosque, ut officia invicem præstanda bene observarent, adhortabatur †). Quando igitur Imamus primum

*) Plures iam ut ita dicam, Michlaf. Jemanae fuisse, eaque variis temp. varia habuisse nomina, vix opus est adnotare.

**) Cf. Voyage de l'Arabie heureuse p. 215, 216.

***) Vid. codicem p. 24. l. 13 et saepius.

†) Descripsit noster copiose repraesentationem huiuscemodi, تقليد dictam, p. 21, l. 20 seqq.

imperium receperat et Chotbam, i. e. orationem sacram, suo nomine peragendam, et monetam cudendam curaverat, hoc regiorum insignium instar erat; præterea autem inaugurationem accipiebat, ubi vexilla in honorem eius pandebantur*); nam vexilla quoque ad insignia regia pertinebant **). Ceterum videntur Imami Jemanenses, quamquam nulli parentes principi nec tamen plane pro arbitrio gessisse imperium: veri enim est simile, coactos eos fuisse, ut obedirent judicum et ducum consilio ***), nec non moribus atque consuetudinibus, quae antiquitus exstiterant et in legis formam abierant †).

§. 7.

Adumbratur historia Jemanensium a prima gentis origine usque ad Muhammedis aetatem.

Jemanam ad antiquissima terrae regna pertinere haud scio an nemini dubium videri possit. Quamquam de prima gentis origine nihil certi constitui potest, tamen, cum Arabum historici in hoc consentiant omnes, posteros Joctani per

*) Vide codicem p. 25, 2 a. f.

**) Ita saepissime in vita Timuri. cf. etiam Hamasae carmina ed. Freytag, p. 16, 5 ubi legitur ومعه اللوا ut insigne regium, item p. 16 ultim.

***) Hi iudices et duces in cod. nostro vocibus القواد واعيان الدولة, p. 16, 1. اهل العقد والحل, p. 24, 13 et aliis locis designantur.

†) Cf. Büsching l. l. p. 662.

longum temporis spatium ibi regnasse, cumque vel Geneseos libri auctor incolas Arabiae australis et a Cuscho, filio Chami, et a Joctano, Semi postero ortos esse referat *), hoc regnum vetutissimis iam temporibus videtur exstitisse. Arabes autem de primo regni ortu nil certi cognitum habuisse, eaque quæ narraverint, ex Judaicis potissimum fontibus hausisse, inde conjicere licet, quod nomina, in Genesi obvia, paululum tantum mutata afferunt, genealogias vero maxime confundunt **). Ita noster quoque Joctanum (quem Arabes Kahthanum appellant) non ut in Genesi (X, 25) ejus origo explicatur, sed ab Ismaele ortum, et Ismaeli filium Tsabit fuisse dicit, qui in Geneseos c. XXV, 12 seqq., ubi Ismaelis posteri recensentur, non invenitur ***).

Itaque haec quoque opinio, Kahthanum terrae Jemanensi nomen indidisse (vid. p. 20.), e Judaicis scriptoribus hausta esse videtur. Locus est Genes. C. XX, ubi origines earum gentium, quae in australem Arabiae partem migraverant, traduntur, quod ex ipsis nominibus satis superque constat †). Quod autem Abulfeda scriptorem Ibn Said Almegrebi dicentem inducit, primum Jemanae regem fuisse: قحطان بن عابر بن شالح ††), id cum hoc Geneseos

*) Conf. Genes. X v. 6 et 25.

**) Doctissime hac de re disputavit Sacyus in „Mémoires de Literature", tom. 48. p. 485.

***) Vid. codic. p. 2, l. 7 a. f. Cum nostro alii Arabum historici in hac Kahthani origine exponeuda consentiunt, vid. Pocok. spec. p. 40.

†) Cf. Mannert Geographie der Griechen u. Römer tom. 6. p. 5.

††) Schultens imper. vetustiss. Joct. p. 2.

loco praeclare consentit, cum ibi Joctanus a patre Eber avoque Schelach oriundus dicatur. Quamquam nihil amplius inde colligi potest, quam hoc, Arabum historicos, cognitione originis atque antiquitatis populi sui destitutos, ut aliquid saltem proferrent, ad Judaeocum narrationes confugisse neque quæsivisse, veræ essent, nec ne. Ipsi enim disertis verbis confitentur, nullam historiam magis esse dubiam atque obscuram, quam illam de imperio Himjaritarum, seu primorum Jemanae regum. *) Quae cum ita sint, fieri non potest, ut certam antiquitatis Jemanensis cognitionem unquam adipiscamur. Neque vero conjecturam, a cl. Mannerto prolatam, nullam omnino probabilitatem habere contendam, gentes Arabiae australes, quibus ab antiquissimis inde temporibus cum Indis mercaturae commercia intercesserint, ab ipsis Indis manasse, praesertim cum auctor Peripli maris erythraei ostenderit, inter Arabes ipsos diversas, etsi non linguas, at dialectos certe obtinuisse, id quod alii iure suo ac merito confirmarunt. **) Nimirum probat hoc, singularum gentium diversam esse originem. Verum haec mera est conjectura, neque ex iis, qui noti nobis sunt, historicis, argumenta ad fidem ei faciendam afferri possunt; quare ad ea, quae Arabes de origine sua tradunt, exponenda redeamus.

Sunt qui duplicem Arabum originem ponant: provenisse enim alios a Cachthano, ab Adnano,

---

*) Ibid. p. 10.

**) Mannert l. l. p. 17—21. Pocok. spec. p. 153. Niebuhrii descript. Arab. p. 83 seqq.

Ismaelis progenie, alios. Horum priores indigenas esse Arabes (عرب عاربة), alteros insititios sive advenas, [عرب مستعربة]. Sunt porro, qui neutros genuinos Arabes fuisse contendant, sed hoc nomine nullos praeter Amaleci, Amtemi et Haschemi posteros, aliosque nonnullos, appellari, qui ad unum omnes interierunt. Hinc Joctanum regem esse factum, atque omnium primum regionis Jemanensis imperium exercuisse. *) Sed prior illa sententia longe usitatior est eamque plurimi Arabum scriptores amplexi sunt. Duplicem illam Arabum originem cum Sacyo **) ita explicarim, ut Joctanidas in Arabia felice, Ismaelitas seu Adnanitas in Hedjazo collocem, propterea quod in hoc Arabum narrationes consentiunt omnes, tribum Koraischitarum, in Hedjazo regnantium, unde ipse propheta descendit, ab Ismaele eiusque postero Adnano oriundam esse ***). Atque genealogia haec Ismaelitarum, quamquam ne ipsa quidem ad liquidum perducta, multo tamen certius constitui potest, quam illa Joctanidarum. Nam de regibus Jemanensibus magna inter auctores dissensio est, cum et diversum, quo alter alterum sit secutus, ordinem alii statuant et alios reges alii omittant. Sed etiamsi omnes scriptores eosdem reges atque eodem ordine recensuerint, dubitationi tamen locus relinqueretur, quia ante Hedjram communis Arabum aera exstitit nulla; et temporis spatia non nisi a regum imperiis aut ab illis diebus, quibus magna proe-

*) Pocok. l. l. p. 39 sqq.

**) Mem. de Literat. l. l. p. 598. seqq.

***) Vide tabulam majorum Muhammedis in Mem. d. Lit. p. 533.

lia erant pugnata, numerabantur. Inde fluxit magnus ille numerus dierum proeliis insignium, qui in annalibus Hamzae Isfahensis, capite decimo, accurate recensentur. *). Probabile igitur est, Joctanum sive Kahthanum primum rei Jemanensis parentem fuisse, unde omnes eius provinciae incolæ atque reges orti sint. Hoc enim Abulfeda disertis verbis ait: وقحطان المذكور اول من ملك ارض اليمن ولبس التاج **). Mortuum Kahthanum excepit filius Ja'rebus, quem porro Jaschhabus filius, deinde Saba nepos est secutus. Ja'rebus primus omnium Arabice locutus esse traditur novamque formulam, qua rex salutaretur, adhibuisse ***). De Jaschhabo praeter nomen nihil est notum. Ad Sabam autem quod attinet, monendum est, Geneseos auctorem hunc filium Joctani dicere (X, 28.) De ipso nomine سبا auctores Arabici in diversas abiere sententias. Hoc inter omnes convenit, vocem سبا nil nisi cognomen fuisse viri, cui alii nomen Amer. dederunt, alii Abdoschschems †). Nomen سبا ei inditum esse propterea quod ille primus Aditas in terra Jemanensi persequens et propulsans multos eorum in captivitatem redegerit (سبى السبى). Hamza Isfahensis narrat, hoc historiae Jemanensis initium ab ipsis Jemanensibus constitui, alios

*) De his aeris vide Rasmussen histor. praecipuorum Arab. regnorum ante Islamismum, ubi hoc caput Hamzae typis expressum et versum est, p. 125—128. et 63—124

**) Histor. Joctanid. p. 2.

***) ibidem p. 50. De formulis salutandi reges vide Pococke l. l. p. 56—58.

†) Monumenta antiq. hist. Arab. edid. Eichhorn p. 135. Hist. Joctanid. 2, 18, 48.

vero auctores ab eo valde discrepare, quam rem eorum narratione prolata deinde demonstrat. Attamen quantopere tota hujus temporis historia referta sit fabulis, hoc inde potissimum est apertum, quod idem auctor addit, hunc scilicet regem 450 annos regnasse; accedit, quod idem Saba, tertius a Joctano rex, Cyro æqualis dicitur. Ingentem hunc anachronismum Reiskius iam explosit *). Saba celeberrimam illam per antiquitatem urbem, quam alii Marebum, alii Sabam appellant, condidisse dicitur, quamquam de voce Mareb. maxima inter auctores est dissensio. Alii enim hoc nomine reges Jemanenses appellatos esse volunt, alii, Marebum esse urbem, quae a conditore nomen acceperit. Sunt etiam, qui Marebum tribum fuisse contendant, sunt denique, qui arcem regis Jemanensis ita vocari putent **). Sacyus, qui doctissime de hoc nomine disputavit, quam Graeci scriptores commemorant, urbem Mariabam cum nostra componit, ita ut efficiatur, Marebum et Sabam eandem esse urbem, praesertim cum Abulfeda haec habeat verba: مارب ويقال لها سبا. Quamquam, ait, a vero non abhorrere, quod nonnulli Arabum scriptores vocem Marebum a Saba distinxisse videantur; Marebum enim castellum fuisse urbis Sabae; — neque absurdam esse Plinii sententiam, Marebum esse nomen appellativum et significare »dominum omnium, i. e. Metropolin« ***).

*) Eichhorn monumenta antiq. hist. Arab. p. 205—207.
**) Imper. Joctanid. p. 166.
***) Memoires de Litterature, tom. 50. p. 504 et 508. cf. etiam indic. geographic. ad calce. dissertationis huius h. v.

Inter multos Sabae filios praecipuam celebritatem assecuti sunt Himjar (quem alii Homairum appellarunt) et Cachlan. Himjari posteri per longum tempus imperium Jemanense tenuere, atque a patre gentis nomen Himjaritarum vel Homerïtarum accepere *). Narrat Nuweirius, Himjarum consecutum esse hoc nomen a consuetudine vestibus rubris utendi, cognominatum autem eundem esse Arandjidj. Verum equidem cum Sacyo putaverim, Firozabadium et Djauharium rectius contendere, verum eius nomen fuisse Arandjidj, cognomen vero Himjar, quoniam ex Nuweirii narratione apparet, eum initio nomen Himjari non habuisse, sed postea demum accepisse **).

Himjarus propter fortitudinem et potentiam inter omnes antiquitatis reges celebratur, ac primus regum Jemanensium capiti diadema aureum imposuit. Aeqnalis fuisse dicitur Kaidaro b. Ismail (i. e. Kedar Hebræorum) regnumque per quinquaginta annos tenuisse. Hamza Isfahensis ait, nullum e filiis Kachthani ante hunc imperio functum esse. Una, quæ de Himjaro narratur res gesta, est, quod Tsamuditas ex Jemana in Hedjazum propulerit ***).

Ab hoc igitur Himjaro dynastæ Himjaritarum nomen et originem habuere. Ipse autem Himjarus ad Sabæ posteros, i. e. ad Sabæos pertinebat: Sabaei enim omnes a Saba oriundi ap-

*) Auctoritate Sacyi permotus egomet Himjar loco Homair effero. cf. Mem. d. Litt. l. l. 502. nota.

**) Imper. Joctanid. p. 50. Mem. de Litt. l. l. p. 502 not.

***) Joctanid. p. 22. et p. 4.

pellabantur. Postea vero, cum Himjaritae maximam inter Sabaeos obtinuissent potentiam, omnesque reges Jemanenses per longam annorum seriem ab eorum stirpe essent oriundi, nomen Himjaritarum et Sabaeorum promiscue usurpabatur et unum idemque valebat, quamvis ad Sabaeos aliae quoque tribus, veluti Cachlanitae, pertinerent. Idque non ex Arabum solum, sed ex Graecorum Romanorumque etiam scriptis apparet, cum illi vocibus Himjaritarum et Sabaeorum promiscue utantur.

De successore Himjari auctores Arabici non consentiunt. Abulfeda enim Wathilum b. Himjar, Nuweirius Cachlanum fratrem Himjari eum excepisse narrat. Quae quidem dissensio hoc mihi videtur componi, quod jam tradit Hamza, ante regem Haritsum Arrasisch (de quo infra agemus) imperium inter duos principes distributum fuisse. Videtur igitur mihi propter hanc narrationem, Wahthilus, ut e familia Himjaritarum, atque ab ipso Himjaro ortus, in Jemana, Cachlanus vero in Hadhramauto regnum obtinuisse; dicit enim Hamza, alterum regem in Sabæis, in Hadhramauto alterum regnasse *). Quod Nuweirius refert, Cachlanum per trecentos annos imperium exercuisse **) id rursus fabulosam antiquissimæ huius historiæ rationem redolet. Pocokius auctor est, Wathilum regem a nonnullis Wajilum esse nuncupatum ***). Alii vero Wa-

*) Joctan. p. 22.

**) ibid. p. 50.

***) Pocok, spec. hist. Ar. 58 cf et Monum. antiq. p. 138.

thili loco regem Almelthahum b. Amru b. Himjar imperio potitum esse tradunt *).

De regibus, qui a Wathilo inde usque ad Haritsum Arrajisch regnarunt, Hamza ita loquitur: فلم يعد ملكهم الى اليمن حتى مضت قرون وصار الملك الى الحرث الرايش وهو تبع الاول. Quem quidem locum Schultensius ita vertit, ut sensus sit, hos reges non totam provinciam Jemanam obtinuisse. Sed a Reiskio est observatum, Schultensium hoc loco labi atque verba hoc fere modo esse vertenda: « Nec tamen integrum Jemanae regnum ultra et extra Jemanam se protendit cett.**), ad quam interpretationem comprobandam Reiskius addit, praepositionem الى scribae errore loco عن irrepsisse. Necessaria sane Reiskio conjectura, cum الى in hoc loco sensum, quem Reiskius voluit, habere non possit. Hamza igitnr de regibus sequentibus nil praedicavit, nisi imperium eorum extra limites Jemanae extensum non fuisse, donec Haritsus, imperio accepto, magnas susciperet expeditiones potentiaeque faceret incrementum. Sed nomina horum regum ab Hamza non sunt prolata, quare ea ex reliquis colligemus.

Abulfeda teste successit Saksakus, filius Wathili, quem Djauharius Sakasakum filium Wajilae appellat. Hunc rursus secutus est Jaafarus filius, hunc porro Dsu Rijasch, idem Amer b. Badsan dictus, nepos Aufi, filii Himjari. Huncce rerum per vim potitum esse addit. Nuweirius contra, quem non Wathilum, sed Cach-

*) Joctan. p. 53.

**) Vide Monum. antiq. hist. Arab. p. 208 et 209. et Joctanid. p. 22.

lanum Himjari successorem constituisse monuimus, ait, de Cachlani hujus successore auctorum sententias discrepare. Esse, qui Abumelikum, per Ascarum a Saba oriundum secutum, esse etiam qui Cachlanum Arrajischum (de quo dicit وهو الحارث بن شداد) Cachlanum excepisse referant *). Cum vero addat, ante hunc quatuordecim jam Himjari posteros exstitisse, quippe Himjarus autem frater et aequalis Cachlani esset, fieri omnino nequit, ut nullus, inter hunc, sive Abumelikum sive Cachlanum Arrajischum, atque Cachlanum regnaverit. Videtur igitur Abulfeda, qui multos interposuit reges, propius ad veritatem accedere. Hoc referente Dsu Rijaschum aut Amerum secutus est Annomanus, nepos Saksaki, qui antecessori rursus imperium vi eripuit, et regno universo occupato cognomen Almuafiri accepit. Successit deinde filius Asmachus. Sed paulo post Schadadus, filius Adi, nepotis Sabae, ad extremum occidentem usque penetravit et universum imperium in ditionem redegit, magnisque monumentis exstructis posteritati nomen mandavit. Post eum Locmanus frater regnasse narratur, qui tamen imperium non ad mortem usque obtinuisse videtur; Nuweirius enim tempore Haritsi b. Sedad, tertii abhinc regis, mortuum eum esse contendit *). Locmanum excepit frater Dsu Sedad, hunc deinde Harits b. Dsi Sedad, quem Arrajisch dictum esse ait Abulfeda. Alii Locmani loco Mortsidum Dsu Audi nominant, quem sexcentos annos regnasse fama est, posteaque exceptum eum a filio Amruo, hunc

*) Joctanid. p. 50 et 22.

a Dsu Sedado. Omnis horum regum historia tam est obscura et difficilis, ut praeter nomina nil afferre possimus, et, cum scriptores ne in his quidem consentiant, an recte eorum series constituatur, iure dubitemus. Nam quod adductis aliorum populorum regibus aequalibus multum in investiganda Arabum historia adjuvamur, eo auxilio nos hoc loco plane carere valde dolemus. Monendum videtur, Sacyum exstructionem aggeris illius ad urbem Marebum [qua de re suo tempore dicemus] Locmano illi Aditae, de quo mox, adscribere, sequentem narratiorem Hamzae, cum alii aggerem illum 'a Saba originem habere existiment. Ac ne hac quidem de re, quæ celebris ante omnia in antiquitate Jemanensi fuit, inter auctores convenit *).

Regem Alharitsum Arrajischum complurium auctorum consensus commemoravit. Abulfeda filium eum appellat Dsu Sedadi, aitque non deesse, qui eum Kisi filium, nepotem Seifi, pronepotem Sabæ fuisse contendant **), quibus quidem verbis Hamzam indicare videtur, utpote qui hanc eius originem narraverit ***). Nuweirius autem cum Abulfeda facit, nisi in eo quod eundem regem et Cachlanum Arrajischum appellavit. Omnes deinde consentiunt, Alharitsum maiores primum expeditiones suscepisse, et propterea quod magna ex iis spolia in Jemanam reportarit, iisque terram incolasque ditaverit, nomen Arra-

*) Mem. de Litterat. l. l. p. 491. Joctanid. p. 24.

**) Joctanid. p. 6.

***) ibid. 22.

jisch, i. e. ditatoris, accepisse. Redegit ille non solum totam regionem Jemanensem in suam potestatem, sed Indos quoque et Turcas subiecisse sibi dicitur *). Et Hamza et Nuweirius regnum ab eo per centum viginti quinque annos administratum fuisse tradunt **).

Fuit hic primus regum Jemanensium, qui nominatus est Tobb'a, id quod omnes referunt auctores. Hamza quoque causam, quare id nomen acceperit, addit; dicit enim, quod ille solus totum regnum Jemanense obtinuerit, omnesque provinciæ incolæ eum secuti fuerint [تبع له], nomen تبع ei esse additum ***). Quacum sententia id convenit, quod Niebuhrius affert dictum incolæ cuiusdam urbis Mocchae, reges scilicet Jemanenses hoc nomine esse auctos, propter multitudinem eorum, qui eos secuti fuerint, deinde vero omnibus, qui postea regnaverint, eam appellationem inhæsisse propterea, quod alter alterius regnum exceperit, eumque fuerit secutus. Alios ex Arabibus, pergit, contendere, Tobbam regium titulum fuisse, velut Aegyptiorum Pharaonem, denique vel hodie in tractu Cheiwano gentem Arabicam vetustae originis, Tobba dictam, exsistere †). Firuzabadius docet, nomine Tobbae non esse appellatos nisi reges Hadhramauti, Sabae et Himjari. Praeterea autem reges Jemanenses اقيال et اقوال et مقاول, id est dictatores, appellabantur, quos tamen titulos

*) Ibid. ibid.

**) Joctanid. p. 22 et 52.

***) ibid.

†) Niebuhr. descript. Ar. p 186.

alii minoribus tantum regibus vel partium praefectis tributos fuisse dicunt *). Interdum veterrimis hisce Joctanidarum regibus nomen Dsul Kalai, ذو الكلاع quoque impositum est **).

De nomine Haritso observandum est, alios حرث, alios حارث scribere, id quod nihil ad rem facit.

Abulfeda auctore Alharitsum in imperio secutus est filius Dsulkarnain Asabus, qui quare cognomen »bicornis« acceperit, non memoratur. Narratur autem, huius in Corani Surata XVIII. mentionem esse factam, ibique ei neque vero Alexandro Magno, cognomen »bicornis« tribui. Hamza et Nuweirius hunc regem non commemorarunt, sed quem post Dsulkarnainum affert Abulfeda, hunc, nullo interposito, Haritsum excepisse arbitrantur.

Fuit hicce Dsul Menarus Abraha, ab Abulfeda Dsulkarnaini, a reliquis Haritsi filius dictus. Videtur hic bellicas expeditiones suscepisse, quoniam narrant cognomen ذو المنار (dominus phari) eum inde reportasse, quod, cum in hostes invaderet, viam signis quibusdam, quæ reditum certum redderent, indicavit. Addit quoque Nuweirius, regionibus Africanis et Nigritis bellum eum intulisse. Fabulantur nonnulli, centum eum et triginta annos regnasse, augent alii numerum usque ad centum octoginta tres annos. Sunt etiam, qui inter Haritsum et Dsulmenarum regem Hajarum b. Galib. b. Zeid. b. Cachlan.

---

*) Pococke spec. p. 67. de voce Tobba. cf. etiam Herbelot in Lexici.

**) Hamaker. Pseudowakid. p. 141

per centum viginti annos imperium obtinuisse opinentur *).

Abraham excepit filius eius Africus, quem Nuweirius ex Ibn Hamduno Dsuladsar esse cognominatum tradit, quod cum praeter alias expeditiones in Africam quoque invasisset, Africani propter stupendam corporum magnitudinem exercitui eius magnum incuterent timorem. Hoc Nuweirius; Abulfeda vero Africi fratri Amruo, qui in imperio ei successit, hoc cognomen eandem ob causam imposuit, quem quidem fratrem Nuweirius omnino silentio prætermisit. Africum vero narrat, non solum in Africanas regiones intrasse, sed ad ultimum quoque finem Tangiae [طنجة] pervectum partem barbarorum, quos Josua a Palaestina profligarat, in terra illa residuam, in Africam reduxisse. Quibuscum Hamza fere consentit, eum in Africam ad barbaros debellandos irruisse dicens, deinde ad extremas terrarum oras expeditiones suscepisse. Atque ex his quidem, si vera existimari possent, manifestum foret, Africum aliquanto post Josuae tempora vixisse. Addunt Nuweirius et Hamza, hunc regem urbem Africam in Megrebo [مغرب i. e. Africa] condidisse, atque hoc nomine appellasse. Imperio eius Hamza centum et sexaginta annos tribuit **).

Jam diximus, regem Amruum, quem Abulfeda Dsuladsarum nominavit, non memorari a Nuweirio. Addit tamen hic, postquam Alfaidarum Dsu Schanatsirum, Africum patrem

*) Joctanid. 52. 24. 26. 6.

**) Joctanid. 6. 24. 54.

in imperio excepisse dixit, auctorem esse Abdolmelikum, **Alabdum filium Abrahae Africi** fuisse successorem, atque hunc Dsuladsarum cognominatum, propterea quod Pygmaeos, magna strage profligatos, captivos in Jemanam adduxerit, quorum adspectus mirabilis et portentosus maximum Jemanensibus terrorem excitarit. Cum hoc optime consentit Hamza, qui Abulfedae Amruum ne commemoravit quidem. Addunt Hamza et Nuweirius, Abdum b. Abraha viginti quinque annos regnasse. Magnopere igitur in his inter sese differunt scriptores, quare fieri non potest, ut certius quid inde eruatur. Pocockius, unum Abulfedam secutus, Amruo regi cognomen hoc tribuit *). Alabdus frater Africi ab Hamza dicitur, Amruus vero ab Abulfeda eiusdem frater, et Alfaidarus Dsu Schanatsir a Nuweirio filius Africi nominatur. Hunc deinde ait in expeditione versus Irakam periisse. Dsu Schanatsir ait esse vocem Himjariticam, quae significet «dominus digitorum».

De sequentibus eadem inter auctores dissensio: Abulfeda narrat, Himjaritas imperium Dsuladsari (i. e. Amrui) abrogasse ac **Scharhabilum**, qui filius Amrui cuiusdam dicitur, in locum eius suffecisse; inde magnam inter hos ortam esse contentionem, qua Scharhabilus denique victor fuerit. Scharhabilus ille num filius Amrui Dsuladsari fuit? Mihi quidem dubia res videtur, ac pæne neganda, propterea quod Amrui huius, Scharhabili patris, genus longe diversum ab illius Dsuladsari origine describitur; fuit enim ille

*) ibidem. — Pocoke specim. p. 60.

non filius Africi, nepos Abrahae, sed filius Galibi, filii Muntabi, rell. Tum quoque Himjaritas, patrem reiicientes, filio imperium detulisse, veri haud est simile. Nuweirius et Hamza hunc regem omittunt. Uterque Hadadum successorem constituunt, quem Nuweirius filium Amrui, nepotem Scharhabili appellat, ita ut, re plane inversa, Amruum filium Scharhabili, nec vero Scharhabilum filium Amrui dixerit. Hamza hunc Hadadum filium Scharahili شراحيل vocat, quae vox an scribae errore loco شرحبيل posita sit, nescio. Parum tamen probabile videtur propterea quod Hamza et Nuweirius ne in nomine Hadadi quidem scribendo conspirant; Nuweirius enim هدهاد, Hadhad, Hamza هداد scripsit, quare fieri potest, ut diversi plane reges significentur. Mesudius autem, teste Nuweirio, Hadadum (seu potius Hadhadum) filium Scherhabili filii Amrui nominat, et Ibn Kotaiba, inquit Nuweirius, eundem appellat Hudum b. Scherhabil b. Amru b. Arrajischi, qui pater Balkisae, uxoris Salomonis, fuit. Postremum hoc si fide dignum esset, de tempore regum priorum coniecturam saltem aliquam facere, quamvis non certo quidquam affirmare, possemus. Nam quae singulis regibus nimia annorum imperii multitudo tribuitur, fabulae speciem prae se fert. Quamquam igitur persuasum mihi habeo, neque hac ratione, neque ulla alia, probabile quidquam de antiquiore Jemanae historia inveniri posse, tamen, ut magis etiam appareat, quam incerta et perturbata sint omnium historicorum his de rebus commenta, rationes subducamus, videamusque quaenam temporum ratio ex iis, quae ab auctoribus tradi vidimus, constitui possit.

Ac primum quidem, ut a certo quodam et absoluto annorum numero, ut ab aera quadam ordiamur, Salomonis regnum ponamus a. millesimo a. C. Hadhadus regnavit viginti annos, teste Nuweirio, sed teste Hamza septuaginta quinque, quorum medius fere esset numerus 45; post eum ipsa Balkisa regnavit viginti annos (id quod postea exponemus); Hadhadus igitur imperium accepit a. 1065. et Balkisa a. 1020 a. C. *). Quanquam Scharhabilus a nemine præter Abulfedam, nominatur, atque omnino, quis inter Africum et Hadadum regnaverit, non constat: id tamen patet, quum alius alium regem laudet, unum certe quemcunque inter eos regnasse, cui spatium triginta trium annorum, ut vulgo fit, assignemus. Hoc ita posito finis imperii Africi fuerit 1098. Africus regnasse dicitur annos 164; imperium igitur accepit a. 1262. Dsul Menarus Abraha regnavit, quemadmodum videtur aliis, 183, aliisque 130, annos, quorum medius numerus est

*) Videtur enim, postquam viginti annos imperium retinuerat, nupsisse Salomoni, Joctanid. p. 8. Eam revera Salomonis uxorem fuisse, consentiunt Ibn Kotaiba et Abulfeda. cf. Joctan. p. 54. Hamza etiam disertis verbis ait, post regnum viginti annorum eam a Salomone in Palaestinam esse ductam ibid. p. 24. Cum omnes hac in re consentiant praeter unum Nuweirium, res speciem veri habere videtur, praesertim quum constet, ingentem Salomonis uxorum et pellicum copiam e populis extraneis esse auctam cf. II. Regum C. XI, 1-4. Neque ea coniectura infringitur eo, quod in II Reg. haec regina non nominatur, cum nullius ibi nomen allatum sit, et numerus pellicum Salomonis esset magior, quam ut omnium nomina recenserentur.

156, imperium igitur iniit a. 1418. Dsulkarnain Asabus non nisi ab Abulfeda commemoratur, neque quamdiu regnaverit additur. Quare demus ei annos 33, regnare igitur coepit a. 1451. Alharits Arrajisch 125' annos imperium obtinuit; initium imperii ergo fuit a. 1576. — Sed longius procedere non licet, quoniam et maxima iam oritur de singulis regibus dissensio, neque, quot quisque annos regnarit ubique traditur. Atque etiamsi quamdiu quisque regnaverit, scriptum inveniremus, universam tamen rem nil nisi meram conjecturam esse, unde nihil certi colligi possit, quis est quem fugiat? Intelligant igitur, velim, historici criticam rationem non esse afferendam vetustissimis his rerum monumentis. Nihil enim in his stabiliri posse videtur, quam regum nomina aut res gestæ, sed ita ut historiae et veritatem et dignitatem ab iis perpetuo abesse arbitremur. Nam etiamsi credibile sit, veri quidquam in his narrationibus latere, id tamen sine dubio est concedendum, fabulis eas quam plurimis esse permixtas et amplificatas.

Atque haec quidem hactenus. Redeamus nunc ad scriptorum narrationem ulterius persequendam.

Hadadum vel Hadhadum igitur secuta traditur filia eius Balkisa [quam Nuweirius filiam Dsu-Asradji, non regis, sed Veziri regis Scherahi Himjaritae appellat]. Hanc post viginti annorum regnum a Salomone in Palaestinam ferunt esse perductam. Balkisae a nonnullis exstructio magni illius aquae receptaculi ad Marebum, Alarim dicti, tribuitur; qui vero alteram sequuntur traditionem, a Locmano Adita id esse aedifi-

catum, contendunt, Balkisam illud, vetustate collapsum, refecisse *). — De Balkisa Nuweirius nil habet, quoniam res gestas huius reginae in prima libri parte, inscripta: « historia Salomonis » enarrasset, quae quidem libri pars hodie, quantum scio, non exstat. Idem ait Mesudio auctore post Hadhadum non Balkisam, sed Tobbam primum per quadringentos annos imperium obtinuisse, id quod valde a reliquis abhorret; etenim Tobba primus illis fuit Harits Arrajisch, de quo egimus supra. Nomen huius Tobbae hic non affertur. **)

Excipit Balkisam patruus Naschir onniam b. Scharhabil, qui cognomen ناشر النعم « sparsor gratiarum », propter beneficiorum, quibus homines auxit, multitudinem, accepit. Hamza hoc cognomen scripsit ناشر ينعم, neque id scribae errore irrepsisse videtur, cum bis ita scriptum reperiatur ***). Scharhabili filium eum fuisse, inter omnes constat, praeter Nuweirium, qui eum filium Amrui, nepotem Scharhabili dicit. Is quoque nomen Jasasin ei fuisse arbitratur. Clarus fuit benevolentia, praeclara regni administratione magnaque potentia. Narrant scriptores, eum, expeditione in interiorem Megrebi [Africae] regionem suscepta, penetrasse ad Wadi Ramal, quem fluvium ob arenae multitudinem [unde nomen quoque traxisse videtur] quum transire non posset, arena subito dilapsa, milites traiicere iussisse, illos autem periisse arena immersos, quare monumentum illic ab eo exstructum sit, his verbis inscriptis:

---

*) Joctanid. p. 24.

**) ibid. p. 54.

***) ibid. p. 24.

هذا الصنم لناشر النعم الحميرى ليس وراءه مذهب ولا يتكلفن احد ذلك فيهلك. «Hoc monumentum erexit Naschir on Niam Himjarita; ulterius progredi non licet; ne quis hoc sibi proponat, certe enim peribit» Quo facto domum rediit. — Abulfeda addit, esse, qui regis huius nomen Melik ibn Amru b. Jaafar b. Amru b. Montab b. Zeid fuisse dicant. Hamza et Nuweirio auctoribus, octoginta quinque annos regnavit, Ibn Kotaiba autem triginta quinque *). Itaque si placet, tempus imperii eius ab a. 1020 usque ad 935 constituamus. Pocockius hoc de rege alia narrat, primum quidem, verum ejus nomen fuisse Malekum, tum verba in statua illa insculpta fuisse ما ورای مذهب, neque vero ما وراه مذهب, ut reliqui exhibent. Sed وراه mihi quidem aptius videtur **).

Sequitur, consentientibus omnibus auctoribus, Schamarus Jaraschus Abucarbus, quem Hamza et Nuweirius filium Africi, nepotem Arrajischi, Abulfeda vero filium Naschir an niami nuncupant, quanquam addit, esse, qui patrem ejus Africum fuisse affirment. Qui rex, quum vel triginta septem, vel quinquaginta tres, vel centum et triginta annos dicatur regnasse, regnum eius in annum fere 853 incidisse arbitrabimur, [siquidem medium illorum assumserimus numerum]. At nunc audi et stupe, quod iidem auctores, qui antea Balkisae, uxoris Salomonis, mentionem fecerant, addunt: وخرج نحو العراق فى زمن يشتاسف احد الملوك الفرس واعطاه

*) Joctanid. p. 24. 54.
**) Pocock. specim. p. 60.

يشتاسف الطاعة « expeditionem fecit in Irakam tempore Jaschtasifi, unius ex Persarum regibus, qui obedientiam ei praestitit. » Eodem modo Hamza وقال بعض الرواة كان شمر فى زمن ملك يشتاسف وزعم اخرون انه كان قبله: « Narrant scriptores nonnulli, vixisse Schamarum tempore Jastasifi, alii antiquiorem eum fuisse, contendunt. » Jaschtasifum enim hunc esse Darium Hystaspis filium quis dubitabit? Vir doctissimus Th. Hyde in libro « de religione veteri Persarum » eam rem ad liquidum iam perduxit. Tantopere igitur historiae veritatem ignorabant Nuweirius et Hamza, ut paulo antea Balkisam, tempore Salomonis, ac duobus fere seculis post Schamarum tempore Darii Hystaspis [qui a. 521—487 regnavit] vixisse narrent. Ad eiusmodi igitur scriptores, qui res frontibus adversis secum pugnantes com ponunt, confugiendum nobis est, ut adipiscamur non historiam, sed fabellas quasdam aniles de antiqua Jemanae conditione! Nec tamen cum nulla omnino utilitate coniuncta est haec quaestio, quum id saltem demonstret, atque ante oculos ponat, fieri nullo modo posse, ut veram Arabum vetustiorum historiam unquam cognoscamus.

Quod attinet ad cognomen يرعش, huic regi proprium, Nuweirius et Hamza docent, cum, quod corpore saepe contremisceret, ita vocatum esse. Nominis Abucarbi Abulfeda mentionem non fecit. Sunt, qui non Asabo, ut supra diximus, sed huic regi cognomen Dsulcarnain inditum putent. Quid? quod nonnullis Alexander ipse magnus ita appellatus esse videbatur.

Ab hoc igitur rege Darius Hystaspis superatus esse fertur; eumdem porro regem Sinenses

quoque et Sogdianos atque provincias Chorasanas suae ditionis fecisse narrant. Ab eo deinde urbem Samarkandam nomen accepisse, quippe quam obsidione cinctam vi expugnaverit, diruerit, incolas occiderit; vocem شمر كند enim significare: Schamarus (eam) diruit. Inventam quoque esse in ipsa urbe inscriptionem Schamarum eam denuo exstruxisse. Periisse denique regem in expeditione adversus regem Sinensem, cum per magnum desertum iter faciendum esset, ibique aqua deesset, unde ipse cum sociis siti interierit. Hamza vero a viro quodam, Rustemo b. Destan, putat eum occisum esse. De regni spatio iam egimus *)

Nactus deinde est regnum **Abumelikus**, filius antecedentis, qui patrem ulciscendi cupidus in Megrebum (Africam) contendit, ibique in itinere periit, postquam a. quinquaginta quinque imperio functus erat **).

Abumelikum deinde secutum esse regem **Amruum Mozaikijam**, Abulfeda refert, quo rege, Mesudio teste, magnum illud diluvium, Alarim dictum, evenit. Quare paululum ad hanc rem subsistamus, quae haud parvi momenti videtur ad historiam sequentis temporis explorandam materiamque multarum disputationum viris saepe doctissimis praebuit. Atque memorabile sane est in omnium fere populorum historia antiquissima, quam quisque ad summam antiquitatem referre pro viribus studet ***), diluvia nos de-

*) Joctanid. 8. 26. 58.

**) Ibidem.

***) Cf. Mem. de Litt. t. 29. p. 40 sqq.

scripta invenire, veluti Judaeorum diluvium tempore Noachi, Graecorum tempore Deucalionis, alia. Non est dubium, et Graecorum et Judaeorum quod commemoratur diluvium re vera accidisse, quamquam multas deinde narrationes fabulosas et amplificatas e gentis traditione accessisse, nemo sanæ mentis infitias ibit. Lapides enim a Pyrrha iactos commutatos esse in homines, Noachi arcam tantae molis quadraginta dies aquis esse vectam, aliaque huiusmodi fabulosa, quis tandem credat? Diluvia autem quondam multis in locis exstitisse quum a vero non abhorreat, tum iis etiam, qui in rerum natura diligentius perscrutanda versantur et humi solique rationem penitus cognoverunt (geognostas vocant), etsi non extra omne dubium, at veri tamen simillimum videtur. Quod igitur de reliquarum nationum diluviis statuimus, id etiam de nostra Jemanensi, Seilol arim سيل العرم, valet, nihil scilicet impedire, quominus rem ipsam factam esse arbitremur, quae vero additae sint fabulae, eas pro fabulis etiam esse habendas. Ad eas autem pertinet, regem Amruum ab uxore vate, Tharifolchairi, monitum esse, ut imminentem magnam calamitatem, rupturam valli Alarim, fugeret. Ipsam autem uxorem et somniis et aliis prodigiis de futura hac calamitate certiorem esse factam aiunt. Fore enim, ut mures campestres ingens illud vallum dentibus perfoderent lapides ingentis ponderis deiicerent, tum aqua in totam illam regionem redundaret, ut obvia quaeque vastaret. Amruum, hoc vaticinio multis aliis prodigiis denuo confirmato, perterrefactum sua quaeque vendidisse, dein cum gente et asseclis multis imperio deposito e terra profugisse.

Multa eiusmodi adduntur, quae legere cupienti in Reiskii dissertatione « de Arabum epocha vetustissima » p. 32 seqq. et Schultensii hist. vetust. Joct. p. 169 seqq., tum aliis quoque locis praesto sunt.

Complures viri doctissimi diluvium ita descriptum revera accidisse, atque in primis historiae Arabum factis, quae vera haberi possint, esse numerandum, existimarunt. In primis ita factum est a perill. Sylv. de Sacyo, et ab eo quem iam diximus, Reiskio clar., ab illo in dissertatione, obvia in opere Memoires de Litterature, tom. 50. p. 484., inscripta: »sur divers événemens de l'histoire des Arabes avant Mahomet« a Reiskio vero in dissertatione supra laudata. Sed de tempore, quo diluvium illud contigerit, (quod constituere potissimum utriusque est consilium), in diversas abiere sententias. Atque videtur de utriusque rationibus aliquantulum esse disserendum.

Sacyus igitur primum quidem in universum tum de antiquissimae Arabum historiae ratione, tum vero de ipsa urbe Marebo, quæ eadem Saba nominata sit, et de exstructione valli illius Alarim, aliisque rebus, quæ huc spectant, agit. Quibus expositis, tandem, p. 516, ad ipsum quaestionis argumentum se convertit quando diluvium illud acciderit, ubi pro certo habendum esse dicit, quod narratur, Amruum Mozaikijam exundationis tempore cum asseclis aufugisse. Hunc, quod a Cachlano, neque vero ab Himjaro sit oriundus, non, ut Abulfeda scripsit, regem Jemanensem esse videri, sed provinciæ potius alicuius præfectum, parentem Himjaritis. Quemadmodum antea vero Cachlanitae interdum

iugum servitutis deiicere studuerint, ita hunc fortasse idem esse conatum statuit, quæ res cum minus feliciter processisset, hac potius commotum causa, quam propter diluvium a muliere divinatrice praedictum, cum sociis aufugisse. (p. 517.) Amranum et Amruum propter argumenta allata omnino ex ordine regum Jemanensium esse delendos. (p. 519. 520.) Amruum b. Amer vero Cachlanitarum principem aequalemque Abumeliko vel Akrano fuisse. (p. 521. De regum nominibus postea exponemus). Ipsum diluvium in aevum regis subsequentis, Dsuhabschani, incidere; huius et Acrani igitur tempore aeram diluvii esse quaerendam. (522.) Neque vero quidquam effici in regum tempore constituendo nisi synchronismo, qui passim allatus sit, regum Persarum. (§23.) Enumerantur deinde reges singuli, apposito cuiusque synchronismo cum Persis, ex Hamza Isfahensi. (524—526). Quo facto Sacyus ad Muhammedis aevum progreditur (526), Hedjram constituit in a. 622 d. XXIX. Septemb., prophetae diem natalem in a. 571. d. XXI. m. April. [530]. Quoniam autem saepe inter reges Jemanenses et maiores Muhammedis synchronismi allati sunt a scriptoribus, Sacyus deinceps (p. 533) tabulam maiorum Muhammedis constituit, cuique annos triginta tres assignans. Jam omnes ab auctoribus Arabibus, præcipue vero ab Hamza synchronismos allatos componit, unde concludit, Akramum a. 140 p. C. imperium accepisse, eoque tempore diluvium illud accidisse (542). Qua re explicata ad reges Hirenses recensendos venit utpote quorum primus diluvii tempore cum sociis e Jemana migraverit, et his dynastis originem dederit. — Primordia

regni huius Hirensis in anno 220 collocavit, ita, ut sententia illa, diluvium medio secundi p. C. n. seculi locum habuisse, hac re corfirmetur [p. 570]. — Rectene ita vir doctissimus disputaverit, postea videbimus.

Alter, qui de eodem hoc diluvio disputavit, doctissimus Reiskius, tempus, quo illud evenerit, e regno Lachmidarum Hirensi constituendum putavit, quod regnum quinque fere secula floruit, et a. C. 608. desiit. Malekum, regni conditorem, viginti annos regnasse, Djodzeimam Alabraschum (successorem Malki) autem a. 44. p. C. regnum accepisse, regnum igitur conditum esse a. fere 24 p. C. Malekum vero cum Amruo e Jemana migrasse; hoc itaque tempore diluvium accidisse. Quam opinionem præcipue confirmari ait Hamzae narratione, qui tradat: Amruum regnasse 118 annos, sub Arsacidis 95, sub Sassanidis 23; nimirum sub Artaschim 14 annos et decem menses, sub filio eius Sapore 8 annos et duos menses. Quibus e rationibus eruit Reiskius, Amruum ab a: 222—245 sub Persis imperium retinuisse, accepisse igitur regnum anno 127, et antecessorem eius Djodzeimam, qui per tempus sexaginta annorum regnaverit, anno 67 regnare coepisse, Malekum autem anno 47, quo regnum Hirense ortum erat. Unde sequi, concludit, diluvium in tricesimum fere p. C. n. annum incidisse *).

Sacyus hanc Reiskii opinionem plane reiecit. — Quamquam mihi admodum adhuc juveni, qui nequaquam litteras Orientales penitus co-

---

*) Cf. Reisk. l. l. p. 24—27.

gnitione sim amplexus, sed paululum tantum delibaverim, nefas esse videatur, adversari viris tantae doctrinae tantaeque auctoritatis, tamen non possum, quin eos, qui meam etiam hac de re sententiam audiendam esse, benigne fortasse existiment, moneam, ne, nisi re diligentissime explorata celeb. Sacyi sententiam probent. Nam mihi quidem vir doctissimus, Reiskii sententiam falsam esse, argumentis non satis validis videtur demonstrasse. Quin ne allata quidem sunt ulla argumenta, ad Reiskii sententiam evertendam. Omnis enim Reiskii reprehensio in eo versatur, quod incaute Reiskius Hamzam Isfahensem secutus sit, qui auctor ab ipso Reiskio saepissime erroris atque ignorantiae reus nuncupetur; non igitur probabilem esse hanc coniecturam; tum ita concludit: «Il suffit, ce me semble, d'avoir montré, sur quel fondement est ètabli le sentiment de Reiske, pour l'avoir refuté.» *) Quibus quidem verbis nimium, mehercule, vir doctissimus sibi videtur sumsisse. Quid enim? Non afferam, quod Reiskius dixit, Hamzam quamvis in cæteris non magni pretii historicum, et tam parum judiciosum memoremque sui compilatorem, ut diversis in locis tradat adversa fronte secum pugnantia, in historia tamen regum Hirensium, quam libro sexto persequatur, exacte reges hos cum regibus Persarum comparare, et quot illorum quisque annos sub horum unoquoque obtinuerit, diligenter in scripta retulisse» **). Erat enim haec viri celeberrimi sententia antea neque probata,

*) Mem. de Litterature l. l. p. 580.
**) Reiskius l. l. p. 21.

neque refutata; quamquam Sacyus, cum omnino Reiskii conjecturam improbaret, hoc quoque ejus de Hamza iudicium falsum esse ostendere debuerit, praesertim cum tum etiam Hamzae liber ineditus esset; dubitandum igitur saltem esset Sacyo, vera haec Reiskii sententia esset, necne, si tantum non tribuebat Reiskii iudicio, ut re incognita sententiam ejus sequeretur. Sed mittamus haec et quaeramus, quis tandem ille sit auctor, quem ipse Sacyus in sua conjectura probanda ante oculos habeat? Non solum Abulfeda, Nuweirius, Masudius, sed praesertim idem ille Hamza Isfahensis, id quod cuivis, quamcunque dissertationis eius partem inspicienti, facile apparebit. Veluti p. 526. ubi Sacyus dicit, se regum tempora constituturum esse e synchronismis ab Hamza allatis; totius igitur disputationis fides Hamzae historia nititur. Idem est p. 523. ubi de ratione, qua ad aliquam historiae veritatem pervenire possimus, disserens, haec verba profert: «Ce moyen consiste à faire usage avec critique de diverses synchronismes, que les historiens, et surtoût Hamza, qui suit en cela quelques auteurs plus anciens, ont indiqués entre les rois de Perse et ceux du Jemen.» Igitur, quod ipse in suum usum ex Hamzae synchronismis convertit, id ipsum, a Reiskio in medium prolatum, nulla dignum est fide?

Accedit quod Sacyus in initio regni Hirensis constituendo, quamquam acute et diligenter, ut semper, eam rem agens, in calculi tamen errore deprehenditur, id quod ex sexto Hamzae libro, quem Reiskius ante memoravit, quemque postea evulgavit Rasmussen, constat. Sacyus enim praeclaro ingenii acumine tempus regum singulo-

rum Hirensium usque ad Amruum secundum accurate e locis scriptorum constituit, ita ut parva tantum differentia inter eos, quos ille constituit, singulorum annos, eosque, quos Hamza retulit, inveniatur. Sed de antecessoribus Amrui nihil apud scriptores commemoratur, praeter nomina. Quamobrem his singulis tricenos ternos tribuit annos; attamen auctore Hamza Amrulkeis I 114, Amruus I 118, Djodzeimah Alabrasch 60 annos regnavit, quo efficitur, ut origo regni Hirensis multo longius quam doct. vir statuit recedat*). Adi b. Rebia ab Hamza non commemoratur, et quod Sacyus attulit, hunc Saporis I tempore vixisse, id cum Hamza quidem pugnat. Sed in universa historia huius temporis auctores res multas longe discrepantes afferunt, neque ego volui aliud ostendere, quam et Reiskii et Sacyi opinionem nil nisi meras esse conjecturas, easque multis rebus ab historicis relatis, impugnari. Quo fit, ut mihi quidem non magis de tempore, quo Seil ol Aram evenerit, quam de priori historia certi quidquam constitui posse videatur. Apponemus tamen ad reges sequentes annum, quo Sacyus eos regno functos esse arbitratur. Sed redeamus ad ipsam historiam. Monuimus antea, Abulfeda teste post Abumelikum regem Amranum, deinde fratrem eius Amruum Ibn Amer Almozaikijam regnasse; accepit hicce cognomen Morzeikija, quod quotidie aliam induebat vestem, eamque, qua die praeterlapso usus fuerat, lacerare jubebat, ne

*) M. d. L. p. 570. Rasmussen hist. praecip. popul. Arab. ante Islamism. p. 6—8, et tabula reg. Hirensium calci subjuncta.—

quis ea uti postea posset. — Cum Abulfeda disertis addat verbis, Amrani tempore imperium ab Himjaritis, qui hucusque principatum habuerant, ad Cachlanitas translatum esse, atque cum Amrani Amruique originem a Cachlano petat, cum Sacyo dubitandum sane videtur, an res verene ita se habeat, praesertim cum plurimi reliquorum scriptorum duos hos reges non commemorent. Sacyus plura attulit argumenta, quibus commotus utrumque ex ordine regum Jemanensium eiecerit, neque ego quidem possum, quin pedibus in sententiam eius eam. Attulit autem argumenta fere haec. Primum iis auctoribus, qui Amranum Amruumque in regibus Jemanensibus numerent, quemnam inter eos locum obtinere debeant, non constare. Alterum duos hos reges inter patrem et filium (Abumelikum et Akranum) regnasse non esse veri simile; siquis tamen hoc statuerit, certe perduellione facta illos imperium sibi vindicasse, quum non ad Himjaritas, sed ad Cachlanitas pertinerent, qui ab imperio continuo removerentur; talis vero seditionis nusquam mentionem fieri. Deinde probabile non esse, regem Amruum ob metum inundationis praedictae regnum deposuisse, cum ad aliam quamcunque urbem se conferre posset, ut calamitatem effugeret. Ceteros etiam auctores Amranum Amruumque regibus non annumerare, sed partium praefectos vocare. Manifestum porro esse ex tota emigrationis historia, Amranum et Amruum aequales fuisse, nec vero alterum post alterum regnasse. Neque Marebum, sed Dhafarum plurimorum regum Jemanensium sedem fuisse *).

*) M. d. Litt. p. 519, 520. Joctanid. 158.

Quamquam obiici nonnulla possint uni alterive ex his, quae attulit Sacyus, argumentis, magnopere tamen doctissimi viri opinionem probandam esse censeo; præsertim quum nulli hucusque memorentur reges a Cachlano oriundi, nisi quod nonnulli ipsum Cachlanum post fratrem Himjarum imperium obtinuisse tradiderunt, quæ tamen res aliis secus se habere visa est. Itaque statuimus cum viro clarissimo, Amranum et Amruum ad reges Jemanenses non pertinuisse, sed in urbe Marebo potius Cachlanitarum tribui præfuisse, tum aliquando imperium sibi arrogantes et ab Himjaritis repulsos hanc ob causam potius, quam propter prædictam inundationem, cuius præsagia nil nisi nugæ sunt aniles, patria relicta in diversas partes cum maxima gentium multitudine excessisse.

Hamza igitur et Nuweirio testibus **Acranus Ibn Abimelik** successit patri Abimeliko. Hic rex, quem vocant Tobbam secundum, Bahamani tempore, id est **Artaxerxis Longimani** *) vixisse fertur; Bahamanus autem ab Hamza dicitur filius Isfendijari, nepos Jastasifi: Jastasifum neminem nisi Darium Hystaspis fuisse, nullo modo dubium est. Isfendijarum autem Xerxem esse, quemadmodum hic Hamzæ locus videtur indicare, mihi non plane constat. Meninskius e lexico Persico-Turcico فرهنك شعورى attulit, id nomen regem Persiæ, filium كشتاسبس indicasse, qui cognominatus fuit روبين تن. Nostrum يستاسف idem quod كشتاسبس (Guschtaspes) esse videtur. Cum Abumelikus, pater Acrani, ut patrem

*) Eichhorn. Monument. ant. hist. Ar. p. 211.

ulcisceretur in Africam se contulisset, atque in itinere hostium ibi magna vi impeditus, periisset, Acranus ut avi vindictam sumeret, Samarcandam intrasse dicitur, eamque urbem renovasse indeque in Siciliam penetrasse; cujus metropoli devastata, colonia deducta, novam ibi urbem condidisse. Hamza et Ibn Kotaiba Acrano imperium quinquaginta trium annorum tribuunt, Masudius vero 163 annorum; sed hicce Abumelikum, antecessorem ejus, non commemorat, Acranumque Schamari filium appellat *). Atque ex hac quidem re longum illud regni spatium, quod vetustissimis hisce Jemanensium regibus assignare solent scriptores, quodammodo potest explicari. Nimirum non eodem modo has Arabum traditiones explicandas esse censeo, atque Hebræorum narrationes, ita scilicet ut eorum anni longe breviores fuerint, quam nostri, quemadmodum in Hebræorum rebus gestis factum esse, pæne certo possumus affirmare. Sed Arabum annos lunares, igitur paulo minores fuisse, quam nostros, inter omnes constat, neque argumentis eget. At, quemadmodum hoc loco Masudius Acrani antecessorem omisit, ipsique Acrano antecessoris imperii spatium ad id quod ei erat proprium addidit, ita in plurimis locis, si quis diutius fertur imperasse, quam pro hominis ætate, tum unus alterve rex, qui aut præcedere aut sequi debebat, omissus est ab historicis propter nominum ignorantiam. Cum vero satis bene scirent, omisso uno tertium abhinc regem in omissi tempore collocari non posse, antecessoris imperium

*) Joctanid. 28. 60.

tanto longius produxerunt, ut regis omissi spatium una compleret. Atque hæc est causa, quare quanto magis ad antiquitatem Arabum historia recedit, tanto saepius diuturna regum imperia relata invenimus, quanto propius ad Muhammedem vergit, tanto rarius eiusmodi errores committuntur. Etenim recentiori tempore plurimorum regum memoria non erat exstincta, quum antiquiorum et res gestae et nomina diu essent oblitterata *). Neque vero abhoret ab hac opinione altera illa, hos scilicet reges, quibus nimis longum imperii spatium tribuitur, non singulos reges, sed familiarum gentiumve fuisse parentes, quae minus tamen placet. Quamquam in vetustissima Arabum historia nolim agnoscere eandem rem, quae de Indis refertur. Apertum est enim, apud hos valuisse opinionem, in prima populi origine, ut quisque hominum maximis virtutibus praeditus fuerit, ita non corporis staturam solum, sed aetatem quoque eius quam longissimam fuisse; atque ubi primum vitia in genus humanum irruerint, unam alteramque esse in brevius contractam **). Nihil enim eiusmodi ne poetae quidem Arabum de gente sua retulerunt.

Sacyus coniicit, Acranum a. 140. p. C. n. imperium accepisse. Quod Hamzam narrare animadvertimus, Bahamanum Acrani fuisse aequalem, id sententiam a me prolatam, hoc tempus aeque atque antecedens maxima obscuritate laborare, confirmat; nam Bahamanus, sive Artaxer-

*) Cf. ad hanc opinionem Pocok. specim. p. 107. 108 ubi reges nonnulli memorantur, quorum alibi nulla fit mentio.

**) Memoires de Litterature tom. XXIX p. 41.

xes Longimanus ab a. 467 usq. ad a. 425 ante Chr. n. vixit. Sacyus nil, nisi Hamzam falli, dicit *). — Acrani tempore aquarum illam effusionem accidisse, Masudius ex Hamedunio refert.

Abulfeda et Hamza testibus secutus deinde est Dsu Habschanus, quem Sacyus in a. 160—174 p. C. Hamza tempore دارا بن دارا بن بهمن collocavit. Mira sane Hamzae narratio. Nam Acranus Bahamani aetate per quinquaginta tres regnavit annos, successor hic tempore pronepotis Bahamani! Et quinam illi Darii? Reiskius priorem esse putat Darium Codomannum, alterum Darium Nothum **). Sed quomodo haec quadrant? Bahamanus sive Artaxerxes Longimanus a 467—425., Darius autem Codomannus Alexandri M. tempore vixit. Qui igitur hanc opinionem defendet, is vocem بن per posterum, nepotem seriorem, non per filium interpretari debet. Quid vero, quod ab Hamza narratur, Dsu habschanum Thasmitas et Djadisitas ante Alexandrum magnum exstirpasse?

Sacyus opinionem, Dsu Habschanum a. 160—175 vixisse, his argumentis confirmare studet. Hamza referente (p. 30) successores Dsu Habschani tempore Kosai filii Kenanae vixerunt; is vero aequalis fuit Alexandri Magni.— Attamen Kenanae filius huius nominis non fuit, et cum idem Hamza p. 36 memoraverit, Cazaium aequalem Fairuzii esse, Sacyus conjecturam a Reiskio propositam, loco قصى esse نضر, Nadhr, legendum, qui filius Cenanae unusque ex maioribus

---

*) Mem. de Litt. t. 50. p. 542.
**) Monum antiquiss. 211.

Muhammedis fuit, non amplectitur solum, sed e libro quoque manuscripto Persico, qui Hamzae historiam ad verbum paene translatum continet, veram esse probat. Nadhr autem secundum tabulam majorum Muhammedis, a Sacyo ita constitutam, ut cuivis triceni terni dentur anni, natus fuit a. CXLII p. C. Itaque hoc fere tempore Dsu Habschanus vixit *). Quae si invertantur, ipse sibi Hamza rursus eodem in loco repugnat. Quomodo enim Alexandri M. et Nadhri b. Kenana aetas consonat? Neque mehercule scio, qui vir doctissimus in tabula majorum Muhammedis ad Nadhrum adscribere potuerit: „contemporain des successeurs de Dhou Habschan et du temps de l'ere d' Alexandre.“ **) In Arabico est enim: فى ايام اسكندر, quae verba a Schultensio falso explicata esse «post institutam Alexandri aeram», ipse Sacyus bene ostendit ***). Omnino tabula illa maiorum Muhammedis ex auctoris tantummodo coniectura instituta; nisi aliis argumentis confirmetur, vera habenda non videtur. Idque ipsum eius auctorem sensisse et hanc ob rem Nadhro illi synchronismum Dsuhabschani apposuisse censuerim. Verum ea res nihil probat: illius enim aevum ex synchronismo Nadhri, huius vero aetatem ex illius tempore eruere studet, id quod recte fieri nequit.

Rex Dsuhabschanus a Nuweirio non nominatur. Huic auctori de tempore proxime insequenti nihil omnino videtur constare, quum Ibn

---

*) M. d. Litt. 541 et nota 533. Monum. antiq. p. 212.

**) M. de. Litt. l. l. p. 533.

***) Ibidem p. 541.

Hameduni tantummodo verba laudet. Ibn Hamedunus vero Asadum b. Amru successorem Acrani dixit, et hunc, pergit, cum populo Jemanensi seditione contra reges (i. e. stirpem regiam) concitata imperium sibi vindicasse. Deinde vero, cum patruelis eius Algabthanus, quem in Hedjazum miserat, a Judaeis illic occisus esset, magnam contra hos expeditionem suscepisse, sed Jathrippam (i. e. Medinam, cf. Bochart. geogr. sacra p. 214.) pervectum, quum de magna Algabthani improbitate audiret, Judaeorum factum probasse. Hos paulo postea gratiam ei reddidisse, cum eum, ab Hudsailitis ad Caabam destruendam incitatum, magnopere, ne id faceret, hortarentur; magnam enim hanc ob causam calamitatem in eum irrupturam *).

Redeamus ad Abulfedam et Hamzam. Referunt igitur, Dsuhabschanum a fratre Tobba b. Akran esse exceptum. Quod Hamza addit, hunc Tobbam primum esse vocatum, cum iis, quæ ante de Acrano et Haritso Arajischo dixerat, minime convenit **). Eodem teste imperium a Tobba per centum et sexaginta tres annos est administratum.

Tobbam excepit filius Colaicarbus b. Tobba, per annos triginta quinque, eumque rursus Asadus Abucarbus, quem Hamza et Abulfeda Tobbam medium nuncupant.

Hamzæ locus est p. 30. ed. Schult: »Quemadmodum in Persia exstiterunt reges nomine Aththawaif, pertinentes ad eos, quos Alexander

*) Joctanid. p. 60. 62.

**) Joctanid. p. 22. 28. 30.

provinciis praefecerat, atque, quemadmodum contra reges Aththawaif egressus est Ardeschirus: sic etiam fuerunt in Jemana tales reguli tractuum et familiarum particularium, quorum unicuique titulus erat Kail et Dauraz, contra quos exiit Asadus b. Amru *); » quibus ex verbis Sacyus haud absurde divinavit, Asadum æqualem Ardeschiri fuisse, et eodem fere tempore, quo ille Sassanidarum regnum condidit, id est a. fere CCXX, imperium recuperasse. His ita positis docere pergit, cum Dsuhabschanus tempore Darii Codomanni vixerit, nimium temporis spatium regibus Tobbae et Calaicarbo esse concedendum. Cui difficultati a nonnullis hanc medicinam esse adhibitam, ut inter Colaicarbum et Asadum reges nonnullos essè omissos statuant. Ipse vero hoc potius affert remedium, ut synchronismum illum Dsuhabschanicum cum Dario Codomanno falsum putet, præsertim cum Hamza alio loco dixerit, Asadum filium esse Colaicarbi, Acrani nepotem, quocum alii auctores consentiant. Constituit itaque initium regni Asadi in ann. 220. et inter tres proximos eius antecessores sexaginta annorum spatium distribuit, ita ut Colaicarbus inde ab a. 190. usque ad 220, Tobba a. 175 usq. ad 190, Dsuhabschanus a 160—175 regnum obtinuerit. Quæ ratio universa ostendit, quam incertum fuerit tempus, quo diluvium exstitisse ponit; nam Acranum a. 160 regnum accepisse (quæ quidem res totius illius opinionis est quasi fundamentum), nulla alia ex re conii-

*) Cf. ad hunc locum Reiske in monum. antiq. Eichhornii p. 213 et 214 et de voce Duraz M. d. Litt. p. 524 nota.

citur, quam quod ab anno 220., quo Asadus, æqualis Ardeschiri, imperium acceperit, sexaginta illi anni, qui tribus eius antecessoribus assignantnr, detrahuntur. Sed unde tandem fluxit hic numerus sexaginta annorum? Quidni septuaginta, et plures etiam, cum auctor ipse in tabula maiorum Muhammedis cuivis tricenos ternos annos tribuere soleat? Respondet Sacyus, quod duo horum regum fratres erant; sed nihilominus apparet, valde incertam esse hanc positionem *). Accedit, quod ex illis Hamzae verbis, supra allatis, non satis distincte apparet, Asadum æqualem fuisse Ardeschiri, tum vero, prior synchronismus Dsuhabschani cum Dario Codomanno disertis verbis pronunciatur. Decet autem, ut quam quisque coniecturam proponit, in ea comprobanda iis, quæ a scriptoribus certissime traduntur, accurate utatur. Miror autem, neque Sacyum neque Reiskium ne minimum quidem monere de hoc, quod filius Acrani Tobba primus, et Asadus Tobba medius dicti sint, cum antea iam duos reges hoc nomine insignitos esse viderimus.

Ceterum Asadus Abucarbus idem videtur esse, quem Nuweirius Asadum b. Amru successoremque Acrani dixit, de quo iam ante exposui. Hunc vero vi imperio potitum esse, deinde contra Judaeos bellum gessisse, et reliqua Nuweirii, Hamza et Abulfeda non commemorarunt. Patet autem ex Hamzæ libro, Asadum populum vehementer oppressisse, multis in primis, quas faciebat, expeditionibus. Qua re tumultum esse

*) Pocockii specim. p. 61. Joctanid. p. 30. 62.

concitatum inter iratos Himjaritas, cuius participem facere vel regis ipsius filium, Hasanum, studerent, qui tamen rem recusarit. Himjaritas deinde rege occiso, Hasanum successorem constituisse, quod præter eum nemo regnum administrare posset. Quæ vero antea iam attuli, Asadum regulos (الاقيال والذوز) Jemanensium devicisse eodem modo, quo Ardeschir regulos provinciarum, hoc cum Nuweirii historia consentit. Hamza refert, Asadum regnum per viginti annos retinuisse, Pocockiusque tradit, eum septingentis ante Muhammedem vixisse annis, aedem sacram Meccanam aulaeis et porta aurea ornasse (teste Nuweirio) et Himjaritas ad Judaismum convertisse, testibus Aldjannabio Ahmede et Scholiasta Ibn Abduni *).

Perhibent Abulfeda et Hamza, Hasanum, patris caedem ulciscendi cupidum, omnes, qui eius participes fuerint, alium post alium, occidisse. Inde odium ei est conflatum. Cives fratrem ejus Amruum b. Tobba impulisse, ut Hasano occiso imperium arriperet. Hunc, quamquam ab homine nobilissimo, Dsu Raino, monitum, ne eiusmodi parricidium committeret, tamen fratrem obtruncasse et imperium sibi arrogasse. Hasanum autem per septuaginta annos regnasse, atque hoc tempore Djadisitas oppressisse. Consentit uterque auctor hunc regem, continuis morbis affectum, nisi lectica ferretur, domo egredi non potuisse. Quam ob rem nomen Dsu'lawad (dominus lignorum) ei esse inditum, atque eadem de causa cognomen Mautriban, nomen dialecti Himjariticae,

---

*) Mem. de Litterature p. 542

a وثاب, lectica, stragulum, derivatum. Teste Hamza Dsulawadus a nonnullis aequalis Sapori, filio Ardeschiri dicitur, et qui post eum regnarunt, aequales Hormuzo, Saporis filio; excepisse autem Dsulawadum quatuor reges anonymi, eorumque soror Adhdhaatham. Nuweirius similem rem narrat, sed ordinem regum plane invertit. Is enim, Hasano et Amruo, filiis Tobbae, plane omissis, Mortsidum, filium Abdkelali successorem Asadi ponit, et hunc nomine Dsulawadi appellat. Regnum, per quadraginta annos ab eo administratum, deinde ad quatuor ejus filios transiisse, de quorum tempore nil addit. Mortsidus autem ab Abulfeda et Hamza quintus demum ab Amruo b. Tobba rex nominatur *). Nuweirius ait, quatuor hos filios, imperii consortes, lapidem nigrum ex templo Meccano tollere, cultumque divinnm a templo Meccano Sanaam transferre studentes expeditionem suscepisse, posteros autem Kenanae Fehro b. Melik duce proelio facto tres eorum trucidasse, quartum in captivitatem redegisse, deinde sororem eorum Absaam (quam Hamza Adh dhaam nominat) assecutam esse imperium.

Sacyus ad eam inclinat opinionem, ut regnante Dsulawado haec facta esse statuat, quippe qui aegrotans lecto affixus continuo fuerit, et quatuor illos reges omnino non exstitisse. In quo hoc praecipue notandum est, Nuweirii Dsulawadum longe diversum esse ab Abulfedae et Hamzae eiusdem nominis hominibus, Nuweirium autem de Mortsidi, quem ille Dsulawadum nomi-

*) Joctanid. p. 32 et 62.

nat, valetudine infirma ne verbum quidem dicere. Ergo confudit vir clarissimus historias, quæ nullo modo sunt confundendae. Verum ea res parvi momenti et Sacyo et mihi videtur. Id constat, quatuor illos reges ab Hamza allatos tempore Hormuzi I vixisse, id est anno 271 vel 272, Dsulawadum (Hamzae) igitur annis antecedentibus, id quod cum Hamzae dicto aequalem eum Sapori fuisse, conspirat, porro, fratrem eius Hasanum a. fere 238 imperium accepisse. Efficitur ergo e Sacyi coniectura calculus hic:

Hasan b. Asad a. 238—250. Amruus b. Asad, cognomine Dsulawad a 250—271.	Etenim Sapor. I regnavit a 238—270.

Quatuor reges ignoti a. 271 vel 272. Adh dhaa aut Absaa, eorum soror, a. 272.

Horum regum ætas præ reliquis accurate et firme a viro celeb. videtur constituta, singulis synchronismis maxime conspirantibus, atque hoc uno tantum pugnante, quod Nuweirius non Amruum b. Asad, sed Mortsidum cognomine Dsulawad insignivit *).

Quod attinet ad reginam Adh dhaam, Nuweirius refert, eam propter mores parum pudicos a populo interfectam esse.

Abulfeda, qui quatuor hos reges eorumque sororem omittit, post Amruum b. Asad (aut, quod idem est, b. Tobba) posuit Abdkelalum filium Dsul awadi (i. e. Amrui) et eodem modo Hamza Abdkelalum b. Matsub (sive Mautsib i. e. Amrui) successorem Amrui constituit, qui clam

*) Mem. de Litt. l. l. p. 536—537, et 538. 544.

Christianam religionem amplexus, imperium per annos septuaginta quatuor retinuisse traditur *).

Hunc excepit Tobba, filius Hasani, nepos Colaicarbi teste Abulfeda; Hamza vero eum rectius Hasani filium, Tobbae nepotem et Colaicarbi pronepotem dixit. Errat enim Abulfeda, Hasanum hoc loco filium Colaicarbi appellans, quem paullo ante filium Tobbae nominaverat **). Ambo hunc تبع الاصغر nuncupant, quod, Hamza referente, nullus abhinc insignitus est titulo Tobba. Eodem Hamza perhibente Tobba hicce provinciam Hirensem sibi subjecit, cuius rei [mirum sane videtur] nec in historia regni Hirensium ab ipso, neque ab Ibn-Kotaiba mentio facta est ***). — Ait deinde Hamza, Maaditis eum sororis filium Alharitsum b. Amru praefecisse, Meccam et Medinam expugnasse, tum ad Jemanam reversum Judaismum cum populo suo amplexum Judaeos in Jemanam vocasse atque Jemanenses et Rebiitas foedere coniunxisse. His gestis post septuaginta annorum regnum diem obiisse supremum.

Quo mortuo frater ejus Mortsidus filius Abdkelali per quadraginta unum annos imperium exercuit. Abulfeda vero illum Haritsum b. Amru inter Tobbam et Mortsidum interposuit, atque hunc ad Judaismum se convertisse, existimat. Pocockius Abulfedam sequitur.

*) Joctanid. p. 34, 36.

**) Joctanid. p. 10. lin. 3 et 10.

***) Hamzae historia regni Hirensis in Rasmusseni hist. praecip. Arab. regn. ante Islamism. p. 27—40 typis expressa, p. 3—17 versa est. Ibn Kotaibae historia est in Eichhorni monumtt. vetust. hist. Arab. p. 179—203.

De tempore proxime insequenti Hamza et Abulfeda consentiunt. Ambo enim, post mortem Mortsidi, imperium Himjaritarum dissolutum esse scribunt. Quin iisdem adeo ambo utuntur verbis: وبعده (وثم) تفرقت (بعده) ملك حمير *) Num fortasse his verbis indicare voluerunt, regnum inter plures reges aequales fuisse distributum? Tum mehercule Nuweirii narratio, post Mortsidum quatuor illos reges, Mortsidi filios, consortes imperii fuisse, ad verum proxime videtur accedere, neque vero, quod Hamza et Abulfeda tradiderunt, post Amruum b. Asad eos regnasse, probabile foret. Sacyus hoc sensu admisso, imperii divisionem, ab Abulfeda et Hamza relatam, quae post Mortsidi mortem accideret, cum Nuweirii opinione, quatuor hos reges post eundem Mortsidum regnasse, componere debebat. Sed, quantum video, haec Abulfedae Hamzaeque verba ne animadvertit quidem. Accedit quod quatuor regibus a Sacyo non nisi unus duove tribuantur anni, quod nimis sane angustum videtur spatium.

Post Mortsidum atque filios ejus filiamque Nuweirius regem Malkikerbum b. Amru b. Said b. Omar ponit, eique viginti annorum regnum assignat. Deinde vero ordine plane contrario reges ab Hamza et Abulfeda iam ante allatos, recenset, nimirum Tobbam secundum (quem filium Malkikerbi nuncupat), Hasanum b. Tobba, Amruum b. Tobba. De his idem fere narrat, quod ex Hamza attulimus, nisi quod plura etiam, quae fabularum speciem prae se ferunt, adjecerit, quorum singula enarrare non

---

*) Joctanid. p. 10 et 34.

operae pretium esse videtur. Hoc unum addo, Amruum post fratris caedem mala conscientia ac timore oppressum nobilissimum quemque Himjaritarum trucidasse, praetextu utentem, hos ad fratris caedem ipsum impulisse. Hinc auctoritate et potentia Himjaritarum collapsa Cachlaniticas nonnullas tribus rebellasse ipsumque regem in proelio quodam occidisse. Ita Cachlanitarum ducem, Rebiam b. Modhar, rerum esse potitum, huius filium, Adium, paulo postea a Sapore Dsulaktaf (سابور ذو لاكتاف) urbem Hiram cum regionibus adiacentibus accepisse, Adiique rursus filium, Amruum, regibus Hirensibus originem dedisse.

At mortuo Rebia b. Modhar, pergit Nuweirius, Himjaritae, foedere cum Cachlanitis icto, imperium recuperarunt, regemque Ibrahimum b. Sahhab creavere. Majores huius Ibrahimi a nemine praeterea memorantur. Sunt autem شيجه لحمد لخصيعه ,الصاح ,عدى ,عوف ,سعد ,زيد ,مالك عمرو ,مصلح ,سيف ,حبر ,مالك ,زيدر سعيدر ,دمه et ذو المنار. — Ibrahimus hicce per totum aevum Saporis Dsulactafi regnavit. Successit dein patrui filius Sahabanus b. Muhrits, qui avunculi filium Haritsum b. Amru Cachlanitam, Saaditis (ab Adnano oriundis) praefecit. Is postea suum rursus regnum inter tres filios divisit, qui tamen mox inter se discordantes bella sibi invicem intulerunt. Ipse quoque Sahbanus cum duobus eorum arma contulit, sed victus est.

Hoc defuncto regnum excepit Sabahus filius Ibrahimi, qui patrem ulciscendi cupidus bellum contra Maaditas redintegravit, neque vero victor evasit.

Huic Lachnia Dsu Schanathir successit *).

Atque haec quidem est Nuweirii narratio: Abulfeda et Hamza auctoribus Mortsidum excepit Waliah b. Mortsid (quem Abulfeda tamen Wakiah nuncupat.), mire mehercule, cum modo narraverint ambo, regnum dissolutum esse post Mortsidum. Hamza ei spatium annorum triginta et septem assignat.

Sacyus, postquam regnum reginae Adhdhaae in a. 272 collocavit, tum vero constituit, Abraham (de quo mox exponemus) anno 370 regnasse, iam annos inter 272 et 370 interiacentes quatuor his regibus ita assignat, ut

Abdkelabus	a. 273	usq.	ad	297,
Tobba b. Hasan	a. 297	»	»	321,
Mortsidus	a. 321	»	»	345,
Wakia	a. 345	»	»	370,

imperium obtinuerint. Si cui, pergit, singulorum imperium nimis longum esse videatur, statui poterit, quatuor reges eorumque sororem usque ad a. 280 regnasse, Abrahamque iam anno 360mo imperium accepisse, praeterea interregna fortasse exstitisse, quod Abulfeda videatur indicare. (Postremum mihi ex Abulfedae verbis: ثم تفرق بعده ملك حمير والذى اشتهر بعده انه ملك وكيعه بن مرثد patere non videtur.) Tum quoque ab aliis inter Tobbam et Mortsidum regem Haritsum b. Amru afferri **). Quam incerta totius huius calculi ratio sit, solis luce est clarius.

*) Joctanid. p. 64—78.

**) M. de Litter. l. l. p. 537 et 544.

Post Waliam (Wakiam) imperium translatum est ad Abraham, filium Sabahi. Pater eius Sabahus ab Abulfeda et Hamza in serie regum non positus est, quare probabile fit hunc, ad domum regiam non pertinentem, vi rerum potitum esse. At de hac re altum ubique est silentium. Itaque Nuweirii narratio Sabahum imperium revera obtinuisse, propius ad verum accedit, sed ille rursus hunc Abraham non commemorat. Aut utriusque narratio ut falsa reiicienda, aut ex ambabus inter se collatis veritas eruenda est. Sabahum, referente Nuweirio, contra Maaditas bellum gessisse ac victum esse diximus, iam addendum est, Hamzae quoque eiusdem rei notitiam fuisse; narrat enim Abraham praesagivisse, imperium ad Maaditas revolutum iri, unde concludere licet, regem aliquem Jemanensium a Maaditis proelio victum esse, quamquam Hamza non dicat, Sabahum hunc regem fuisse. Hoc solum tenebat, Maaditas de Jemanensibus victoriam reportasse.

Postquam Hamza deinde alius cujusdam scriptoris sententiam commemoravit, Abraham tempore Saporis filii Hormuzi Dsulactafi vixisse (quo tempore cum Nuweirio Ibrahimum b. Sabah regnasse dixi) hunc postea exceptum esse a Sahbano filio Mohritsi (æquali Jezdedjerdi II) imperio functum, ita ut amborum regnum quindecim annos occupaverit: ipse Hasanum b. Amru b. Tobba successorem statuit, altera illa opinione neque probata, neque refutata. Sahbanum igitur et Sabahum historicus ille ignotus eodem modo atque Nuweirius in regibus Jemanensibus numeravit. Ita Abulfeda quoque Sahbanum filium Mohritsi post Abraham regnasse perhi-

bet *). Apparet hinc, auctores nomina regum memoria bene tenuisse, ordinem vero, quo alium alius sequeretur, pro suo quemque arbitrio tradidisse, quum nihil de ordine exploratum haberent. Pocockius vero ex Aldjannabio et Ahmede regem nullis præterea memoratum, Ibn Dakikan, post Abraham regnasse tradit. **) Omnes forsan vera nuntiarunt; etenim omnes fortasse reges, a singulis scriptoribus allati, imperium tenuere, at quo quisque tempore et ordine, id vero numquam puto ad liquidum perductum iri. Sacyus primum Hamzæ et Abulfedæ Abraham eundem esse cum Nuweirii Ibrahimo haud sine veri specie contendit. Hunc non Sapori I, sed Sapori II, ut qui cognomen Dsulaktaf gesserit, æqualem, a. fere 370mo regnum iniisse, et a. ferme 399mo mortem oppetiisse. Cum filius eius Sabbahus, ut videtur, tunc temporis teneræ adhuc ætatis fuerit, Sahbanum solium occupasse. Hamzæ verba, eum per totum Jezdedjerdi I eiusque filii Bahramguri ævum regnasse, non esse urgenda, sed ita explicanda, ut Sahbanus regnante Jezdedjerdo dignitatem acceperit, eamque usque ad mortem Bahramguri retinuerit. Sed nihilominus Sacyus ei utriusque imperii spatium a 399—440 concedit. Sahbanum dein secutum esse ab a. 440 usque ad 455, cum Hamza eum aequalem Jezdedjerdi II, filii Bahramguri, sive Vararani IV dixerit, qui ab a. 440 usq. ad 457 in dignitate fuerit. Apparet, Sacyum in horum tempore constituendo Nuweirii

*) Joctanid. p. 10. 34.

**) Spec. hist. Ar. p. 63.

historiae nullam habuisse rationem, sed unum vere Hamzam secutum esse *). Opinio illa, Saporem Dsulactafum esse Saporem secundum, neque vero primum, argumentis non satis validis defenditur **).

Hasanus b. Amru igitur ab Hamza affertur, qui postmodum imperio functus sit, quem reliqui non conmemorarunt. Ad hunc Chalidum quemdam, filium Djafari, nepotem Kelabi cum gentis suae captivis perlatum esse, narrat, atque captivos hosce ab Hasano libertatem accepisse, qua de re magna a Chalido laude affectus sit. Imperii Hasani spatium quinquaginta septem occupasse annos ***).

Si quis secum reputaverit eorum temporum, quae modo percurrimus, rationem, animadverteritque, et diversos a diversis reges nominari, et, siqui in regum nominibus consenserint, eosdem de ordine, quo alius alium exceperit, rursus plane dissentire: animum facile subit cogitatio, seditiones et tempestates bellicas imperium concussisse, ita ut singuli regnum sibi vindicare studuerint. Haec opinio bene confirmatur loco Tabaritae, qui in primordio libelli كتاب تاريخ الملوك واخبارهم sic loquitur: فمرج امر حمير بعد ذلك وتفرقوا فوثب عليهم رجل من حمير لم يكن من بيوت المملكة يقال له لخنيعه تنوف ذو شناتر »Labefactum est dein regnum Himjaritarum, ita ut dissiparentur. Tum irruit in eos vir ex Himjaritis oriundus, qui tamen ad familiam regiam eorum non pertinebat, nomine Lahniah Tanuf Dsu Schanatir †).«

*) Memoir. d. Litterat. p. 533. 534. 535. 536. 544.

**) M. d. Litt. p. 534 Nota v.

***) Joctanid. p. 36.

†) Ibid. p. 102.

Taberita igitur de aevo ante regem Dsu Schanatirum haec dicta voluit, id est de eodem hoc aevo, quod nuperrime descripsimus. Nam Nuweirius, Hamza et Abulfeda consentiunt, Dsu Schanatirum hoc tempore secutum esse. *). Nuweirius huic nomen Lachniam indidit, quemadmodum Taberita, quod reliqui omiserunt. De ortu cognominis Dsu Schanatir scriptores nil dixerunt. Attamen in Kamuso annotatur, ita eum dictum لاصبع زايدة له «quod digitus ei fuerit superfluus;» id, quod Pocockius iam monuit. Aliter vero lexicon وان قولى, e quo Meninskius nos edocet, ذو شناتر esse eum, qui inaures gestet. (Scilicet شنترة, pl. شناتر significat utrumque, cum digitum, tum inaurem). Sed video, Pocockium et hoc tradidisse, nimirum Djauharium referre, vocem شناتر Jemanensibus inaures significare: hinc regem ita cognominatum; verum eius nomen Lachtiaah (non ut Taberita et Nuweirius Lachniah) fuisse **).

Hamza et Nuweirius cum Taberita faciunt, hunc a stirpe regia non oriundum et maxima crudelitate grassatum esse. Præcipuum eius vitium paederastia fuit, quare Taberita de eo dixit: يزعمون انه كان يعمل عمل قوم لوط »Narrant eum modo asseclarum Lothi egisse« i. e. flagitium Sadomiticum perpetrasse. Ad quam libidinem explendam cum aliquando puerum venustate excellentem, et ob pulcherrimos cincinnos, quibus gaudebat, Dsu Nowas dictum, accesseret, hicce cultro, clam sub veste allato, subito in eum irruit, eique caput detruncavit. Quo facto

*) Ibid. p. 10. 36. 78.

**) Pocock. spec. hist. Ar. p. 62. 63.

incolae magnopere laeti ipsum Dsu Nowasium successorem constituunt.— Hamza, Nuweirius et Taberita hanc rem iisdem paene verbis perscripserunt, res minoris quoque momenti omnes easdem litteris consignarunt, quare de veritate dubitandum non videtur. Hamza addit, Dsu Schanatirum imperium per annos viginti septem obtinuisse. Dsu Nowas cognomen adolescentis illius fuit, nomen autem gentilitium Zeraah b. Caab, cuius tamen rei Hamza et Abulfeda nullam iniecerunt mentionem *).

DsuNowasius postremus e gente Himjaritarum rex fuit. Omnes enim auctores consentiunt, hunc ab Abyssiniis regno pulsum esse, eosque deinde rerum potitos. Rei summam, eandem ab omnibus traditam, brevi persequar. Dsu Nowasius ob prodigium, a Judaeis nonnullis effectum, ad eorum fidem se convertit, hinc nomen Josephi assumsit, quo facto non solum in regno suo omnes, qui idem facere abnuerent, morti dedit, sed a Judaeis incitatus contra civitatem Nedjram, cuius incolae a viro quodam Syriaco fidem Christianam acceperant, expeditione inita omnes qui Judaismum amplecti recu-

*) Joctanidar, 102—104. Quod ante omisi, hic addere lubet, iis scilicet regibus, quorum nomina vocem ذو habent, vulgo a regione quadam ipsis subjecta, nomen inditum esse. Hinc reges illi, quorum nomina a ذو incipiunt, vocati sunt أذوا اليمن.— Ita noster Dsu Nowasius nomen accepit a نـــواس quo nomine audiebat castellum Jemanense. Eodem modo, quem mox memorabimus, Dsu Jezen, a valle Jezen cf. de hac re Pocockii spec. p. 107 et 109. Sed de Dsu Nowaso perhibent alii, eum propter cincinnorum pulcritudinem ita esse dictum.

sarent, gladio truncatos et in foveam immissos igne necavit. Hoc modo viginti fere hominum millia periere, qui nomine اصحاب الاخدود, (socii foveae) noti, atque in Corano commemorati sunt, et ipse Dsu Nowasius hanc ob causam صاحب الاخدود dictus est. His perpetratis in regnum rediit. Sed ex Christianis illis vir quidam, nomine Dusus Ibn Tsalaban (hunc Hamza appellat Dsu Tsalaban et Abulfaradj in codice manuscripto كتاب الاغانى, in bibliotheca Gothana asservato, pag. 327, ubi historia invasionis Abyssiniorum in Jemanam narratur, Dusus Tsalaban) calamitatem effugit, atque, vindictae cupidus, Caesaris Graeci opem imploravit. (Ita Nuweirius et Taberita, Hamza vero et Abulfaradj l. l. narrant Dsu Tsalabanum a rege Abyssiniae opem petiisse, hunc rem cum Caesare communicasse veniamque belli suscipiendi ab eo expetiise et impetrasse.) Hic, nimis remotus a Jemana, quam ut ipse auxilium praestare posset, litteris ad regem Abyssiniae *) (quem Nuweirius Nadjaschium nuncupat) datis petiit, ut Ibn Tsalabano opem praestaret, cum ipse fidei Christianae addictus sit. Rex Abyssiniae rem expedivit, atque, ut alii tradunt, ipse expeditionem suscepit, ut alii, fratrem suum Ariathum cum septuaginta millibus hominum in regnum Jemanense misit. (De numero non convenit; Hamza, Nuweirius et man. Goth. كتاب الاغانى tradunt LXX millia, Taberita XXX millia.) Mox gravi proelio commisso, non magno ab urbe Aden, ut videtur, intervallo, Dsu No-

*) Manuscr. كتاب الاغانى fert ملكى السودان rex nigrorum.

wasius plane victus est fugatusque, mox semetipsum in mare praecipitem dedit. Imperii eius spatium a Nuweirio sexaginta annorum, ab Hamza viginti annorum traditur. Hamza eum aequalem Feiruzii filii Jezdedjerdi, atque Kosaiji, filii Kelabi, dixit. Abulfeda non hunc, sed successorem eius Dsu Djadanum ultimum regem e prosapia Himjaritarum oriundum possit; Hamza quamquam ille non aliter ac Nuweirius et Taberita Dsu Nowasium extremum regum appellaverit, [وكان اخر العهد به] tamen eundem Dsu Djadanum in locum eius successisse, sed paulo post ab Abyssinis victum esse fugatumque et in fuga periisse addit.

De Dsu Nowasio refert Pocockius, nescio quem secutus, eum septuaginia ante Muhammedem annis vixisse. Idem refert regem Dsu Djadanum hoc nomen [quod significat: voce iucunda praeditus] accepisse, quod primus apud Jemanenses cantando excelluerit لانه اول من غنى باليمن *).

Hamza et Nuweirius subjungunt spatium, per quod Himjaritae dignitatem regiam obtinuerint, sed non sunt concordes; nam Hamza duo millia viginti, Nuweirius ter mille octoginta duos annos iis assignarunt. Hamza addit sex et viginti reges ex eorum stirpe regno functos esse **).

Abulfeda, postquam Dsu Djadanum nominavit, sententiam ab aliis prolatam, Himjaritas bis mille viginti annos regnasse addit, igitur cum

---

*) Pocock. spec p. 63 et 107.

**) Joct. p. 10. 36. 38. p. 80 et 82.

Hamza facit. Praeterea vero refert, de singulorum regum spatiis nihil omnino constitui posse, quod auctor تواريخ الامم [id est Hamza, vide titulum eius libri in hist. Joctanid. p. 18.] quoque profitetur: etenim fieri paene non posse, ut tanto spatio non nisi viginti sex reges imperium tenuerint. Haec Abulfedae verba opinionem nostram, iam dudum prolatam, de antiqua Jemanae historia certi quidquam constitui non posse, verissimam esse probant. Quid enim? Si veteres iam historici concedunt, certam ea de re notitiam non posse comparari, qui nos tandem certam eruere historiam vel conari tantummodo possimus?— Aldjannabius et Ahmedes Himjaritis plus tribus millibus assignant annorum, stant igitur a partibus Nuweirii et Taberitae. Haec affert Pocockius, qui et ipse de incerta antiquitatis Jemanensis ratione nonnulla disputavit *).

Post horum imperium, pergit Abulfeda, ex Abyssinis et Persis octo reges imperium obtinuere, deinde vero Jemana ad Islamismum se convertit. Hamza refert, tres ex Abyssinis, dein octo ex Persis imperio functos esse, quibus exstinctis Koraischitas [i. e. posteros Muhammedis] regnum accepisse. Addit dein, quod Abulfeda ex eo iam attulerat, nullius gentis historiam tanta laborare difficultate et ambiguitate, quanta haec Joctanidarum, quod spatium, huic imperio concessum, nimis longum pro parvo regum numero sit. Haec et Abulfedae et Hamzae opinio Sacyum non impedivit, quin novissimorum quo-

*) Pocock. l. l. p. 63. 64.

que regum Himjariticorum aeva constitueret. Ex narratione in Hamzae annalibus, Dsu Nowasium aequalem Kosaiji b. Kelab fuisse, huius regis aevum constituit; Kosaijus enim, docet, unus e maioribus Muhammedis fuit et secundum schedam eorum [M. d. L. p. 533] natus est a 406, cum porro idem Hamza addat, Dsu Nowasium tempore Feiruzii, filii Jezdedjerdi II. regnum accepisse, hic vero rex a 457—488 regnaverit, initium imperii Dsu Nowasii in a. 480 ponendum erit. Huc facit sententia Walchii. Sacyus addit Dsu Nowasii crudelitatem et oppressionem Christianorum in a. 522 et 524 incidisse. Progreditur Sacyus deinde ad reges antecedentes. Finis regni Sabbahi antea in a. 455 ab eo collocatus erat, inter Sabbahum ergo et Dsu Nowasium spatium 25 annorum interest. De regibus, qui hoc tempore regnarint, auctores minime convenire, docet. Forsan Sabbahum et Amruum Hasanumve simul regnasse vel de imperio certasse, tum ab aliis alium regem appellatum esse. In tabula regum Jemanensium vero hanc regum seriem proposuit:

Hasan b. Amru 455.
Dsu Schanatir 478.
Dsu Nowas 480.

Imperium Aethiopum 529, initium regni Amathi aut Ariathi *)

Nuweirius et Taberita Ariathum deinde regno functum esse commemorant, id quod cum eorundem traditione, non ipsum regem Abyssiniæ, sed hunc eius fratrem Dsu Nowasium vi-

*) Mem. de Litt. p. 531. 533. 534. 544.

cisse, bene convenit. Hamza vero, quod Ariathi antea mentionem non fecerat, nunc quoque imperium ei non assignat. Abulfeda eundem Arnathum dicit, sed أرناط pro أرياط facile substitui potuit, litteræ ن punctis diacriticis commutatis. Immo in Sacyi editione eiusdem Abulfedæ historiæ vox أرناط litteram ب punctis destitutam offert, quare Schultensii lectio falsa videtur. In altero codice أرباط inveniri, Sacyus annotat, atque hanc lectionem in versione recepit; an recte, dubitare licet. Confirmatur autem haec Sacyi lectio manuscripto كتاب الاغاني, quippe quod ferat itidem أرباط. E diversis his lectionibus quænam eligenda sit, non constat *).

Nuweirius et Taberita consentiunt in hoc, Ariathum imperio pulsum esse ab Abraha, uno ex ducibus Abyssinorum.

Hunc Abraham cum Ariatho (Arbatho) ex Abyssinia profectum esse, atque perfide Abyssinorum partem in partes suas traxisse, in man. Goth. traditur.

Abyssini enim (testibus Nuw. et Taberit.) in duas partes disgrediebantur, quarum altera a partibus Ariathi stabat, altera Abrahae favebat. Deinde vero (referente Taberita) Abraha Ariatho proposuit, ut rem certamine singulari dirimerent, qua conditione accepta ambo manus conserebant. Ariathus inimici faciem levibus nonnullis vulneribus notabat, unde Abraha cognomen Alaschram [fissuris notatus] accepit. Tum vero Abraha in Ariathum irruit, eumque

*) Vid. excerpta Abulfedae in calce Pocockii speciminis hist. Arab. ed. alter p. 428 et 504 not. b.

occidit, quo facto omnes Abyssini ei se adiunxere. Nuweirius rem paulo aliter exponit, quum, rem paucis absolvens, dicat, Abraham collectis copiis Ariatho supervenisse eumque trucidasse. Cum rex Abyssiniae, Ariathi frater, Nadjaschius, rem comperisset, ita exarsit, ut nullo tempore interiecto cum exercitu instructo expeditionem contra Abraham suscipere vellet. Sed Abraha astutia et perfidia, Ariathum maxime calumniatus, regem placavit, ita ut Nadjaschius eum in dignitate regia confirmaret. Abraha, religiosus fidei Christianae cultor, Christianis aedem sacram Sanaae exstruxit, eamque tanta magnificentia, quanta huc usque nusquam reperta erat. Ansam eius aedificandae praebuit consilium Jemanensium, sacram peregrinationem Meccanam subeundi, cum incolas, ut in loco propiore, sine omni molestia, cultum perficere possent, a antiquo cultu ad fidem Christianam perducere animum intenderet. Arabes, hac de re irati, templum denuo exstructum foedo vitio turpant, et cum Abraha suspicaretur Koraischitas eius rei auctores esse, templum eorum Meccanum destruere voluit, ad quod consilium exsequendum cum magno exercitu, ipse permagno elephanto vectus, expeditionem iniit. Ad aedis .septum iam pervectus miraculo quodam impeditur, quin prope templum accedat, idque diruat. Etenim elephantus ille, quo vehebatur, nullo modo incitari potuit, ut propius adiret, sed in genua potius procumbens progredi recusaret. Miraculo miraculum additnr. Magna avium turba advolans totum exercitum lapidibus proiectis necat. Ipse Abraha gravissimis vulneribus affectus Sanaam reducitur, ibique paulo post obit. Princeps Koraischitarum tunc

temporis Abdolmuthallebus fuit. Ob hanc expeditionem Abraha صاحب الفيل, dominus elephanti dictus est, et hoc eius cognomen in Corano commemoratur, unde Surata CV nomen سورة الفيل accepit. Pocockius narrat, factum id esse a. quadragesimo secundo Anuschirewani et auctores, huius rei qui sint testes, laudat. At perspicuum est totam rem a Koraischitis exornatam esse, qui sanctitatem templi Meccani hoc prodigio defendere atque ostendere studebant, suam religionem Deo multo magis placere, quam Christianorum fidem.

Eodem Pocockio teste Muhammedis natalis annus in imperium Abrahae incidit, cuius imperii finis, referente Nuweirio, fuit tempore Cosrois Anuschirewani. Prophetam vero, pergit Nuweirius, diebus LV post Abyssinorum illam invasionem, sive anno XXII imperii Anuschirewani, Persae, natum esse. Hamza et man. Goth. contendunt, Abraham per viginti tres annos imperio esse functum *).

Omnes consentiunt, post Abraham filium eius Jeksumum, post hunc fratrem eius Mesrukum regnasse, tum vero Abyssinis imperium rursus ereptum esse. Regnante Jeksumo Himjaritae et Jemanensium gentes foede tractabantur et opprimebantur ab Abyssinis, cuius rei testes sunt Hamza et Taberita. Hamza addit, Jeksumum septemdecim annos regnasse **).

Mesrukus novissimus rex fuit ex Abyssino-

*) Joctanid. p. 12. p. 40. p. 82—92. p. 108—126. Pocock. l. l. 64 et 65.

**) Joctanid. 12. 40. 92. 108.

rum gente, qui Jemanæ imperavit, revoluto deinde ad Himjaritas imperio. Rei summa a Nuweirio in libello separato: ذكر خبر سيف بن ذى يزن وعود الملك الى حمير descripta est, neque a reliquis omissa. Teste Nuweirio proceres Himjaritarum, ut iugum servitutis excuterent, regnante hoc Mesruko ad Seiphum b. Dsi Jezen *) unum e posteris Dsu Nowasii, se contulerunt, eumque ad imperatorem graecum **) Constantinopolin auxilium contra Abyssinios petitum miserunt. Caesar ille, utpote eandem cum Abyssinis fidem amplectens, opem ferre noluit. Inde Seiphus Hiram contendit, Noomani ibn Mondsiri, praefecti Hirae atque Iracae sub auspiciis Cosrois, opem imploraturus. Noomanus eum ad Cosroem adduxit. Cosroes primum propter nimiam Jemanae longinquitatem repulsa data, mox Seiphi astutia, quippe qui, muneribus, quae a rege acceperat, inter incolas dispersis, et hanc ob rem a rege obiurgatus, Jemanam velut ditissimam auri argentique fodinam celebraret, incitatus, magnam sceleratorum turbam, quam in carceribus inclusam tenuerat, duce Wehrazo auxilio mittit. Hi numero octingenti, quorum ducenti tamen tempestate in mari obierunt, traiecto mari, in litus Jemanense advecti, contra Mesruki exercitum egressi sunt. Wehrazus deinde victor Sanaam ingressus, templum illud Christianum diruit.

*) Huic ut, iam ante diximus, nomen inditum est a valle Jemanensi Pocock. l. l. p. 107.

**) Schultensius falso, siquid judico imperatorem Romanum [روم] vertit. Ex Pocockio sententia hic imperator fuit Heraclius. cf. eius spec. hist. p. 65.

Quibus factis, Cosroes Seiphum b. Dsi Jezen imperio Jemanensi praefecit, atque abhinc imperium a praefectis Cosroum administratum est usque ad prophetae expeditiones, ita quidem, ut Cosroi tributa solverentur. Taberita vero addit, cum Wehrazus ad Cosroem revertisset, Seiphum denuo ab Abyssinis infestatum, regno pulsum et occisum esse, tum Wehrazum iterum a Cosroe missum omnes Abyssinos exstirpasse. Inde ipsum Wehrazum regno praefectum esse. Hamza auctore, Wehrazus post Seiphi mortem imperio functus est. Cosroes ille Abulfeda referente Anuschirewanus fuit *). Man. Goth. tradit, Seiphum insidiose ab Abyssinis in mare projectum et interfectum esse.

Adiiciamus paucissima de spatio, quo Abyssini imperium in terra Jemanensi usurpaverint. Dicit Hamza, hac de re auctores non consentire. Ipse hanc probat narrationem, Jemanam ab Abyssinis occupatam esse tempore Kobadi, filii Firuzii, Cosroemque illum, cuius auxilium Seiphus imploraverit, fuisse filium Kobadi (eundem quem Abulfeda Anuschirewanum appellat.) Abyssinos per duos et septuaginta annos imperium in Jemana obtinuisse; nimirum Ariathum annos XX, Abraham XXIII, Jeksumum XVII, Mesrukum XII. Wehrazum dein decem annis post illud bellum imperium accepisse **). Codex Goth. haec singulorum spatia exhibet. Arbathus XX. Abraha XXI. Jeksumus XIX. Mesrukus XXII,

---

*) Joctanid. 12—14.

**) Ita enim intelligenda censeo Hamzae verba: وكان قدوم وهرز باليمن بعد حرب الفجار بعشر سنين p. 40.

ita ut omnes regnaverint annos LXXII. Nuweirius et ipse est auctor, Abyssinos per annos LXXII imperio esse functos *). Taberita spatium LXXIII annorum eis assignat **). Pocockius ex Aldjannabio idem temporis spatium constituit, sed ita ut Ariathus XX, Abraha circiter L, Jeksumus II regnaverit annos. Mesrukus igitur ne annum quidem regnavit? ***)

Post Seiphum ergo octo viri ex Persis imperium tenuere, quorum primus Wehrazus. Hunc sequuntur ordine continuo: Falaisadjanus, Herzadus Jaschharus, Anusadjanus, Merzabanus, Badsanus b. Sakiban, qui postremus sub auspiciis Cosrois Aberwizi regnum administravit, et cuius aevo expeditiones Muhammedis susceptae sunt. Haec Hamza †). Nuweirius et Abulfeda eorum mentionem non faciunt, nisi quod Abulfeda dicit, praefectos a Cosroe constitutos Jemanam gubernasse, quorum novissimus fuerit Badsanus, qui ad Islamismum se converterit ††). Taberita perhibet, Merzabanum, filium Wehrazi, hunc in imperio excepisse; Merzabani autem successorem fuisse filium, hunc vero a Cosroe ab imperio remotum, atque in locum eius Badsanum esse suffectum. Badsanum usque ad missionem Muhammedis imperii administrationem continuasse †††). Sub Chalifatu

*) Joct. p. 98.
**) Ibid. 126.
***) Pocock. spec. hist. p. 65.
†) Joct. p. 44.
††) Joctanid. p. 14.
†††) Ibid. p. 136.

Abu Bekri filius sororis Badsani, nomine Dadujaho Jemanae praefuit, quem auctor codicis nostri iam commemorat p. 3, l. 8. Hic fuit ultimus e praefectis Persarum, et post illum Koraischitae sibi Jemanam subiecere.

Pocockius, auctorem nescio quem secutus, refert, post mortem Seifi Ibn Dsi Jezen filium eius, Maadijum Carbum a rege Persarum Jemanae praefectum esse; Seifum enim antequam auxilium a Cosroe impetraverit, exspirasse. Maadijo postea ab Abyssinis interemto, secutos esse alium post alium Wehrazum, Merzabanum, Schahrum, Djordisum et Badsanum, qui, ultimus ex Persis, Islamiticam fidem profiteretur; mox filium eius Schahrum a Muhammede Jemanam gubernandam accepisse*).

Narratis hisce addo, in codice nostro »historia Zebidi« regem Haritsum b. Abdollah Alhimjari commemorari, qui primus fidem Islamiticam asciverit. Huius nemo praeterea mentionem fecit**).

Sacyus, postquam aeram elephanti ad annum quadragesimum primum regni Nuschirewani, sive in a. DLXXI. p. C. n. retulit, et hoc ipso anno Muhammedis natales posuit***), pergit, 43 annis ante hanc aeram Aethiopes imperio potitos esse, igitur imperium eorum a. DXXIX vel

---

*) Pocock. spec. p. 66.

**) Vid. codic. p. 3 l. 6.

***) Ipse Sacyus concedit, omnem dubitationem ab hac temporis constitutione removeri non posse, quod maxime confirmatur, si conferas Rasmusseni hist. praecipuor. Arab. regnorum ante Islamismum p. 126, ubi Hamza longe diversa refert de elephanti aera.

DXXX incepisse. Cum hoc convenire Hamzae dictum, Aethiopes rerum potitos esse sub regno Kobadi, qui in Persia ab a. CDXCI usque ad DXXXI regnaverit. — De regibus postmodum secutis nihil exposuit, nisi quod in tabula regum Jemanensium hunc eorum ordinem statuit:

Aethiopes potiti sunt Jemana a. 529.
Initium regni Arnathi vel Ariathi [Aequalis Kobadi] 492—531.
Abraha successor Arnathi 549.
Vincitur Abraha. Aera elephanti 571 — anno 41mo regni Nuschirewani; epocha a natali anno Muhammedis a. CCII. aerae حجة الغدر.
Jeksumus excipit Abraham.
Mesrukus succedit Jeksumo 589.
Persae ingrediuntur Iemanam.
Finis imperii Aethiopum, Initium regni Seifi Dsu Jezen anno XXmo Muhammedis.

Pervenimus iam ad id tempus, quo auctor codicis nostri coepit enarrare gentis suæ historias, easque ad suum deducit tempus. Atque expletur quidem hoc codice lacuna satis magna in historia Jemanensi, quoniam de primo post Muhammedem tempore pauca, de posteriore nihil notum erat. Quae vero post Muhammedem res gestae enarrantur, hæ a fabulis omnino sunt immunes et historiae dignitatem tam aperte prae se ferunt, ut verissimas potius atque ab omni dubio remotas eas liceat existimare. Conspectum vero historicum huius codicis ita pro viribus instituemus, ut neque res maioris momenti omittamus, neque, quæ ad historiam Ze-

bidi Jemanaeque adumbrandam nihil valeant, attingamus. Ubi autem noster codex historiam concludit, ibi libri, quorum tituli sunt Arabici: كتاب التيجان الوافرة الثمن ومطالع النيران ,البرق اليمانى et كتاب بلوغ المرام فى تاريخ دولة مولانا بهرام res posthac gestas exponunt, narrantes de invasione Turcarum in Jemanam, quorum codicum historiam celeb. Sacyus in libro copiosissimo simul et eruditissimo, qui inscribitur: Notices et Extraits tom. IV. p. 412—537 publici iuris fecit.

CONSPECTUS HISTORICUS

CODICIS ARABICI, INSCRIPTI

بغية المستفيد فى اخبار مدينة زبيد

Quemadmodum innatum fere est hominum naturae, ut quam quisque rem pertractandam sibi proposuerit, eam reliquis quoque hominibus pro facultate commendare studeat, ita codicis quoque nostri auctor, consilium annalium conscribendorum mente fovens, in primordio libelli id præcipue agit, ut nobis de utilitate artis chronicæ quam plurimis potest argumentis persuadeat. Quæ autem affert argumenta, sapiunt ea ex parte cultorem religionis Islamiticæ, cum inprimis hoc posuerit: Deum in Corano iussisse, ut homines exemplis seculorum præterlapsorum edoceantur; hoc autem, nisi annalibus, de antiquitate referentibus, percognitis, fieri non posse. Eadem fere alterius argumenti est ratio, qui artis chronicæ sit imperitus, eum relationem de dictis factisque Muhammedis, nomine Hadits (حديث) notam, in usum suum convertere non posse. Quod tertium affert argumentum, in universum potius est dictum, annalibus scilicet percognitis judicium hominum acui, sin minus, ne vera quidem a falsis distingui posse. His argumentis præmissis, eadem de re aliorum

quorundam scriptorum sententias laudat, quæ ipsius sententiam confirment, tum vero tertium illud argumentum, sine artis chronicæ cognitione vera falsaque distingui non posse, exemplis ex historia petitis, uberius collustrat*). Cum igitur annalium conscriptio magnae sit utilitatis, cumque multi iam antea docti in ea studium posuerint, auctor noster eorum vestigia secuturus de historia urbis Zebidi potissimum aget, eamque a primis urbis initiis usque ad suum ævum, id est, usque ad finem seculi noni deducet. Nominat tum eos, qui antea iam narraverant de urbe Zebid, inter quos præcipue excellit Scherfoddinus Ismail b. Abi Bekr Almokri **). Præcipua causa, qua commotus ad opus suscipiendum se accinxerit, haec fuit, quod nemo omnium huc usque historiam Benu-Thaheridarum exposuerat. Cum igitur ille primus eorum historiam narrare velit, dicit fore, ut mox facile ab aliis superetur, quia, ut quisque primus negotium susceperit, ita maximis difficultatibus negotiisque urgeatur. Prima historiæ fundamenta auctor a magistris accepit, tum ipse multa addidit, quæ partim ipse praesens vidit, partim, ab aliis accepta, diligenter exposuit. Eam vero in conscribenda historia rationem se secutum esse, auctor scripsit, ut res, quibus legens et delectaretur et edoceretur, fide dignas eli-

*) Conferas, si placet Ibn Chalduni disputationem de utilitate annalium, obviam in libello: Sur le grand ouvrage d'Ibn Chaldun, p. Schulz. p 16 seqq.

**) De ceteris, quos hoc loco affert, auctoribus, vide prolegomena.

geret. Cum vero ii scriptores, qui historiam bene ac iusto ordine contexere student, præcipue initia finesque periodorum debeant observare, auctor, ut huic officio satisfaciat, libellum in decem capita, praemissa praefatione, dividit *).

PRAEFATIO

De nomine praestantiaque Jemanae, de fide Islamitica Jemanensium, de primordio aerae Islamiticae, de ratione, qua Muhammedes eiusque socii provinciam administrarint usque ad fundationem Zebidi.

Multi provinciam Jemanensem eiusque incolas maximis celebrarunt laudibus, idque merito. Iidem vero in diversas abeunt sententias de origine nominis Jemanae. Plurimi eius originem petunt a viris nonnullis, qui hoc nomine usi sint et in hac provincia habitarint. Sic multas urbes nomina a singulis viris habuisse. Alii significationem vocis in causa fuisse dicunt, يمن significare felicitatem, et Jemanam esse terram beatam. Sunt denique, qui putent, Jemanam, quod a dextra Caabae parte sita sit, nomen يمن [pars dextra] accepisse **).

Jemana in partes duas dividitur, alteram superiorem, alteram inferiorem. In parte superiori Sanaa est urbs primaria, quæ continet arcem Gamdar, exstructam a Semo b. Nuh. Zebid est caput partis inferioris, quæ pertinet ad quatuor

*) Sequuntur iam singula haec capita, quae non denuo recensui, quia in proleg. uberius de iis exposui.

**) Copiosius de hac re egi in proleg.

loca sacrosancta *). Tractus Zebidi ab ipso propheta præ reliquis Jemanae benedictus est. Hoc traditum est antiquitus, atque ipsa urbis fortuna probat, veram esse hanc vetustatis opinionem. Primus rex provinciae, qui hanc fidem amplexus est, fuit Alharits b. Abdollat Alhimjari, quem populus una sequebatur; secundum alios autem Wabarus b. Jahbas Alchosrai a propheta primum Sanaam, post Badsani mortem, missus est ut incolas ad Islamismum converteret **). Mox haec fides per totam provinciam propagata est. Cum apud omnes Jemanae incolas fides Islamitica stabilita esset, Muhammedes singulas regni partes administrandas curavit per hos viros: Ali b. Abi Thalib, Moads b. Habal, Abu Musa Alaschari, Chalid b. Alwalid Almechzumi, Zijad b. Lebid Alansari, Chalid b. Said b. Alas, Aththahir b. Abi Halah, Jala b. Omajjah, Amru b. Hazam, Akaschah b. Abi Tsaur, Moawijjah b. Kendeh, Djerir b. Abdollah Albadjali, Amer b. Schahid, Sahar b. Bâdsâm.

His praemissis transit ad primam originem primamque causam annalium Islamiticorum conscribendorum.

---

*) De urbibus Zebid et Sanaa vide indic. geogr. in calce additum, sub his voce. Quatuor loca sacrosancta sunt: Alkatsib Alabjaz, Aldjennad, Mareb et Zebid. De Alkatsib Alabjaz nihil inveni, de reliquis agam in ind. geogr.

**) Ejusdem rei notitia apud Abulfedam invenitur. Badsanus fuit novissimus e praefectis, quos Cosroes Jemanae praefecerat, et hic primum Islamismum est amplexus, mox ipsa Jemama eum secuta. vid. hist. Joctanidar. p. 14. Sed rex Alharits a reliquis non memoratur, nisi quod Niebuhrius eundem nominat Elhared ibn Aldkelal. vid. eius descript. Arab. 137 Vox Jahbas incerta est.

Teste Abu Na'im Alfadhl b. Dakin aeram Islamiticam constituit primus princeps fidelium Omar b. Alchattab anno H. 17, ad quam rem excitatus est epistola quadam ab Abu Musa Alaschari data, qua se epistolas accepisse signo temporis, quo scriptae essent, destitutas, Omarum monebat. Cum alii aliam ei proponerent rem, quae aerae initium esset, ipse fugam Muhammedis [Hedjram] elegit atque initium petere a primo mense Moharramo in animum induxit. Varii auctores vario modo rem narrant, ex quorum sententiis, Omarum, Otsmanum et Alium aerae Islamiticæ constituendae participes fuisse, sequi videtur. Addit auctor diversas sententias de causa, cur annales a mense Moharramo inceperint.

Sequitur iam sectio, in qua praefecti tractus Jemanensis tempore, quo Muhammedes diem supremum obiit, et sub eius successoribus usque ad Abbasidarum tempora enumerantur.

Tempore, quo Muhammedes obiit, Sanaæ et regioni circumiacenti Aban b. Said b. Alás *), Djennado et pagis circumsitis Maads b. Habal Alansari **) Hadhramauto vero Zijad b. Lebid Aschschami præfuit ***). Sunt qui dicant, prophetam Muhammedem Hadramauto præfecisse Almu-

---

*) Aban b. Säid a Niebuhrio quoque commemoratur, tanquam praefectus Sanaae. v. l. l. p. 187.

**) Cf. Nieb. l. l. 187, ubi idem narratur. Niebuhrius vero ab Abubekro, non ab Muhammede eos missos perhibet.

***) Supra vocabatur الانصارى, neque vero الشامى. Niebuhrius eum Siâd ibn Lebid al bajadi appellat. l. l. 187.

hadjirum, quem, quominus in provinciam proficisceretur, morbus impediverit, quam ob causam Zijadus locum suum retinuit. Mortuo Muhammede quum incolae Hadhramauti aliique a fide Islamitica defecissent, Abu-Bekrus*) ut omnes in tota Jemana rebelles debellaret, confirmatis a Muhammede praefectis, Almuhadjiro provinciam tradidit. Ei Abd-Alrahmanum ben-Alahz Djerirumque ben-Abd-allah Albadjali adiunxit.

Exitum huius rei auctor non exponit, ita ut totam rem praetereuntes quasi per transennam adspiciamus. Scilicet Almudjahir exercitum in duas dividit partes, cum altera fratrem versus rebelles Accenses**) in Tehamam mittit, alteram ipse Sanaam ducit. Quum ibi pervenisset, Maadsus ceterique præfecti præfecturam abdicant, venia Medinam redeundi ab Abu Bekro impetrata. Surrogat Maadsus in suum locum Abdollahum b. Ali Rebiah Almahzumi, atque Abanus sibi substituit Ja'lium b. Omajjah, quos omnes Abu-Bekrus in provincia confirmat. His narratis refert auctor, Scherif Jetrisum b. Ali b. Abdollah cum his, quæ dixerit, consentire, et quinam viri, hoc teste, reliquis urbibus et pagis præfuerint tempore obitus Muhammedis. Nempe Thaifo præfuisse Otsmanum b. Abilâs Atstsakafitam, Nedjrano Amruum b. Hazm Alansari et Abu Sofjanum Safinum b. Harits, regioni inter Zebidum et Nedjranum sitæ Chalidum b. Said b. Alâs, Sanaæ Firus eddilemi, Djennado Ja'lam b. Omajjah, Marebo Abu Musam Alaschari.

---

*) De Abu Bekro cf. Abulf. A. M. ed. Reiske t. I. p. 205.

**) عكى vel تهكى. vid. ind. geogr.

Defunctum Abu Bekrum mense Djumada altero anni 13 secutus est Omar b. Alchattab *). Præfectis urbium dignitatem continuavit præter Ja'lam b. Omajjah præfectum Sanaæ, quem bis a præfectura removit. Obiit Omarus m. Dsulhadjdjah a. 23, et hinc subsecutus est Otsmanus **) a quo Ja'la restitutus est, et abhinc Ja'la una cum Ibn Abi Rebiah dignitatem retinuit usque ad Otsmani mortem a. 35 m. Dsulhadjdjah. Emiralmuminin Ali b. Thalib***) successor Otsmani, Jemanae alios praefecit viros, Sanaae eiusque confinibus Abdollahum b. Alabbâs †), Djennado Säidum b. Saad b. Obadah Alansari. Ja'la et Ibn Abi Rebiah [qui Djennado antea praefuerant) timore Ubaidollahi ducti ad Hedjazum se conferunt, et Ja'la, Meccam pervectus, opibus suis seditionem adiuvit, quam Talha et Azzobair et Aïschah contra Alium intenderunt. Sed nihilominus Ubaidollah b. Alabbâs Sanaae praefuit usque ad mortem Alii. Mox Moa'wij-

*) Cf. de hoc Chalifa Abulfed. A. M. t. I. p. 223.

**) Vid. ibid. t. I p. 259.

***) Ibidem t. I p. 279.

†) Textus habet: عبد الله, sed paulo post idem nominatur عبيد الله, atque ita legendum esse docet locus Niebuhrii p. 188, ubi idem Obaid Allah ibn Alabbâs nominatur. Abulfeda eum t. I, 288 Abdollahum, sed p. 330 Obaidollahum nuncupat. Ceterum de Ja'lio et Obaidollaho Abulf. l. l. idem fere narrat atque noster, Ja'lium (filium Munabbahi) ab Otsmano ad Jemanam gubernandam adhibitum, advenienti Obaidallabo, filio Albasi cessisse, sed aerarii divitias secum Meccam transtulisse ibique Aïscham, Talham et Zobairum, expeditionem suscepturos, adjuvisse. p. 288.

jeh b. Ali Sofjan misit exercitum contra Jemanam duce Basro b. Athah Alamîri. Is multos Alii asseclas in oppidis Medina, Mecca, Assarah et Nedjrano occidit; his compertis Ubaidollahus se contulit ad Alium, suffecto in locum suum Amruo b. 'Adakah Atstsakefi. Basrus duos infantes eius Sanaae relictos interfecit, in quorum sepulcro postmodum templum celeberrimum «duorum martyrum» exstruxit. Ipsum quoque Amruum b. Adakah cum parte asseclarum occidit, deinde in Jemana expugnata valde grassabatur, quare Alius ex urbe Cufa exercitum duorum millium equitum et totidem ex urbe Bazra duce Haritsah b. Kodamah Assa'di contra eum misit. Basrus sociis dispersis aufugit, et Haritsah postquam nonnullos ex eius sectatoribus supplicio affecerat, mox Meccam revertitur, ubi nuntium mortis Alii accepit [mens. Ramadhano a. 40].

Jemanae provincia sub Chalifis Omajjadis. Sequitur iam Moa'wijjeh b. Abi Sufjan *), qui Iemanae primum Otsmanum ben Otsman Atstsakafi, dein fratem suum Atabahum b. Abi Sofjan praeposuit, cui provincias Sanaae et Djennadi subjecit. Is biennio, secundum alios triennio elapso ad fratrem Moa'wijjehum rediit, in Jemana sibi substituens Firusum eddilemi. Hic octo annos dignitatem obtinuit. Post mortem vero Atabahi Jemana gubernatur per Annomanum b. Baschîr Alansâri **), anno postea per Baschîrum (ben) Sa-

*) Omittitur a nostro Chalifa Hasan b. Ali cf. Abulf. A. M. t. I. 345.

**) Videtur igitur Firuz eddilemi nil nisi vicarius Atabahi fuisse, quo mortuo praefectura deponenda erat.

id Alachradj, teste Djennadio, secundum Idrisum vero per Saidum b. Dadawijjeh Alfarisi. Cum is per septem menses dignitate functus esset, Adhdhahakus b. Firuz eddilemi secutus est, qui provinciae praeerat, donec obiret Moa'wijjeh mense Redjebo a. 60.

Tum Chalifa factus est filius eius Jezid *). In duarum provinciarum quae conjunctae erant imperio, sequitur Mahr b. Ramsan Alhimjari **) usque ad mortem Jezidi, m. Rebia prioris anni 64. Quo defuncto Abdollahus b. Azzobair ***) civitates Hedjazum, Jemanam et Irakam sibi subiecit, et Jemanae Dhahhakum b. Firuz eddilemi rursus praefecit, anno post Abdollahum ben Abdorrahman b. Chalid b. Alwalid, deinde post alicuius temporis spatium Abdollahum b. Abdalmuthallib b. Abi Wadaah Assahami, post annum et octo menses fratrem ipsius Ubaidollahum b. Azzobeir, quinque mensibus postea Hasanum b. Abdollah Alfakih, paulo post Keisum b. Jezid Assa'di Altemimi †), decem mensibus elapsis adhibuit praefectos, qui quaternos fere menses usque ad Azzobairi caedem, mense Djumada priori anni 73. in dignitate permanserunt. Regnante Abdolmeliko b. Merwan ††), Hadjadjus Meccae potitus est. Hic fratrem

---

*) Cf. de eo Abulf. A. M. t. I, 383.

**) Ejus nomen mendose est scriptum محر بن رمسان الحميرى vox prima signo notata.

***) Hic omittitur Moawijjeh filius Jezidi, cf. Abulf l. l. t. I. p 403.

†) قيس بن يزيد السعدى التميمى.

††) Omittitur Merwanus b. Hakem, Abulf. l. l. I. 405. et Abdolmelikus ex Abulf. sententia jam a. 65. regnare coepit. ibid. I, 409.

suum Muhammedem b. Jusuf Sanaae praefecit, porro Wakidum b. Salamah Atstsakafi Djennado, et Alhakimum b. Ajub Atstsakafi regioni Hadhramauticae. Cum hi per anni spatium praefecturam obtinuissent, Wakidus a dignitate remotus, eiusque provincia Muhammedi b. Jusuf addita est, qui hoc munere fungebatur usque ad mortem, quam ante Abd-Almaliki mortem obiit.

Merwanum, a. 86 m. Schawwalo mortuum, excepit filius eius Alwalid b. Abdolmelik *), qui Hadjadjo dignitatem continuavit. Hadjadjus fratruelem suum Ajubum b. Jahja Atstsakafi in mortui Muhammedis locum suffecit, qui per totum Alwalidi aevum dignitatem obtinuit. Ajubus templum magnum Sanaae aedificavit, quum Alwalidus eam amplificari jussisset. Alwalidi m. Djumada altero a. 96 decedentis, imperium frater Sulaimanus b. Abdolmelik suscepit **) et hunc rursus excepit a. 99. fratruelis Omarus b. Abdolaziz ***), qui Jemanam administrandam tradidit Wahabo b. Menbeh. Omarum defunctum sequitur Jezid b. Abdolmelik m. Redjebo a. 101, frater Omari †), qui Jemanae Mesudum b. Auf Alkaabi praefecit. Sed mense Scha'bano a. 105 moritur Jezidus, eique succedit frater Heschamus b. Abdolmelik ††). Mesudus annum in dignitate permanet, tum removetur, et Jusufo

*) De hoc vide Abulfed. A. M. t. I, 427.

**) Cf. Abulf. A. M. I. 435.

***) Cf. Abulf. A. M. I, 439.

†) Ibidem I, 441.

††) Ibidem I, 449.

b. Omar Atstsakafi omnes Jemanae provinciae traduntur, qui per tredecim annos munere functus est. Sanaae iudicis munus obtinuit Alathrifus b. Adhdhahak b. Firus eddilemi. Tum vero Heschamus hunc Jusufum negotii causa in Irakum venire discedens iubet, filium suum Assalatum b. Jusaf provinciae praeficit, qui usque ad mortem Heschami munere fungitur. Mortuum Heschamum m. Rebia altero a. 125 subsequitur Alwalid b. Zijad b. Abdolmelik *) qui universam provinciam Jemanensem Merwano b. Muhammed b. Jusuf Atstsakefi b. Achilhadjadj b. Jusuf tradit gubernandam. Interfecto Walido m. Djumada altero a. 126 succedit fratruelis eius Jezid b. Alwalid b. Abdolmelik **), qui Jemanae praeposuit Adhdhahakum b. Wajil Assaksaki. Mortuo Iezido imperium sibi vindicat Merwanus b. Muhammed ***) qui Iemanae praefecit Alkasimum b. Omar Atstsakafi. Illis temporibus in Hadramauto exorta seditio Abdollahi b. Iahja Ala'war Charedjitae primum bene procedit, cum ille Meccam Mdinamque expugnaret multosque homines occideret. Medinae per quatuor menses mansit. Hinc expeditionem in Syriam facturus in via ad Wadilkoram occurrit exercitui Syriaco, quem Merwanus duce Abd-Almalici ben-Mohammed ben-Ahtijjah Saadita miserat. Pugna certatur et Abd-Almalikus victor hostes Meccam et inde in Iemanam et

*) Ibid. I, 459.

**) Cf Abulf. A. M. I, 459.

***) Omittit noster rursus Chalifam Ibrahimum ben Jezid, quem Abulfeda interponit. vid. A. M. t. I, 469.

regionem Hadramauticam persequitur. Ibi a Chalifa litteras accipit, quibus nundinis solennibus Meccae praeficitur. Hæc fuit causa pacis inter utramque partem initae. Parvo cum comitatu profectus in via ad Aldjauf occiditur. Merwanus, huius rei nuntio perlato, mittit Alwalidum b. Arwah b. Muhammed, qui Iemanam usque ad finem imperii Omajjadarum in Syria gubernavit. Succumbit Merwanus ultimus huius stirpis princeps a. 132 in Aegypto occisus.

Iemanae provincia sub Chalifis Abbasidis.

Sequitur Abulabbas Assafah Abdollah b. Muhammed b. Ali b. Abdollah b. Ali b. Abdollah b. Alabbâs b. Muhammed b. Abdolmuthallib Alhaschemi, qui provinciis Iemanae et Hedjazo patruum suum Daüdum b. Ali praeficit *). Is vero Daudo b. Abdolmudjid b. Abdorrahman b. Zeid b. Alchattab Koraschitae Adawitae Iemanam rursus tradidit. Hunc auctor primum in Iemana propraetorem Abbasidarum dicit. Quum Daudus ben-Ahli post sex menses occideretur, Abu-l'Abbasus Muhammeden b. Zeid b. Abdollah b. Zeid b. Abdolmadan Alharetsi m. Redjebo a. 133 in Jemanae provinciam misit, qui fratrem suum Adeno præposuit. Ambo male egerunt cum terra Jemanensi. Cum eos, qui morbo elephantino affecti erant, crematuri essent, ambo, antequam rem exsequerentur, uno eodemque die

*) Teste Abulfeda Safahus ei totam Arabiam tribuit gubernandam. Daüdum vero anno insequenti, 133, jam mortuum esse, jamque Safahum in eius locum surrogasse Zijadum b. Abdollah Alharetsi. A M. II, p. 4.

mortui sunt. Itaque Safahus in locum eorum Abdollahum b. Almelik Alharetsi substituit, quatuor mensibus post Alaum b. Arrebi ben Abdollah ben Abdolmedan, qui quatuor annos unumque mensem provinciam administravit. Mortuo Safaho, a. 136 m. Dsulhadjdjah suscipit Chalifatum frater eius Abu Djafar Almensur *), qui Jemanam Abdollaho ben Arrebi ben Abdolmedan Alharitsi tradit; is vero post aliquod tempus filium in suum locum substituit, qui a. 140. m. Rebiae priori Maano ben Zaïdeh Aschscheibani cessit. Eodem hoc anno prodigium evenit, nimirum astra pluviae instar de cœlo decidebant, qua re multi, daemonibus obsessi, sani reddebantur.

Maanus per sex menses Jemanam administravit et filium patrui sui, Sulaimanum, misit, qui partes occidentales ipsius vice gubernaret; hoc vero interfecto Maanus vicum, in qua ille periit, vastavit et duo millia incolarum trucidavit; ex Haudhramauti incolis circiter quindecim millia hominum necavit. His peractis Sanaam reversus a Mensuro in Irakam vocatur, dum ille in filium eius Zaïdahum imperium transfert. Zaïdah ben Maan provinciam per tres annos administravit, post hunc Alhadjadjus b. Mensur, dein Iezid ben Mensur Alhimjari sequitur, usque ad mortem Mensuri (a. 158 m. Dsulhadjdjah) regnans.

Suscipit Chalifatum filius Mensuri, Muhammedes Almahadi **), qui avunculum Iezid b.

*) Abulf. A. M. t. II, 7. Obiit hicce ex sententia Abulfedae a. 159, neque vero a 158.

**) Abulf. A. M. II, p. 41.

Mensur Alhimjari Jemanæ præfecit. Anno vero elapso eum Meccam proficisci, ut in peregrinatione sacra homines tueretur, aliumque, qui vice sua fungeretur, substituere iussit. Hinc cooptavit ille Aschschalikum ben Muhammed Aschschahabi. Cum vero Iezidus septuaginta quinque diebus postea exspirasset, Almahadi Jemanam gubernandam tradidit Redjao ben Chalid Aldjazzami, tredecim mensibus elapsis in eius locum suffecit Alium ben Sulaiman b. Ali b. Abdollah b. Alabbâs, qui anno 161 m. Muharramo eam intravit, post annum vero et quinque menses in Irakam proficiscens Alius sibimet substituit Wasium ben Asmah. Postea Mahadi Abdollahum b. Sulaiman fratrem Alii b. Sulaiman misit, qui Iemanam administraret. Advenit septimo ante finem Rabiae alterius a. 163. Post parvum temporis spatium, sive novem sive septem decim mensium, sequitur Mensurus b. Iezid Alhimjari, 165, anno post b. Abdollahus Sulaiman Anaufili, rursus anno elapso Sulaiman b. Iezid b. Abdollah b. Abdolmedan Alharitsi, qui provinciam rexit annum et decem menses; tum enim obiit Mehedi m. Muharramo a. 169.

Excipit eum filius Musa Alhadi*). Iemana traditur Abdollaho b. Muhammed b. Ibrahim b. Muhammed b. Ali b. Abdollah b. Alabbas, anno elapso hic removetur per Ibrahimum ben Sulaiman ben Akbah ben Muslim Alhabîli; post quatuor dein menses Musa Alhadi obit, m. Djumada priori a. 170.

*) Abulf. A. M. t. II, 53.

Succedit Harun Arraschid [*]), cuius avunculus Algathrif Jemanam regit per tres annos, dein Arrebi b. Abdollah b. Abdolmedan Alharitsi, qui mox a provincia removetur per Asimum b. Atbah Algasani; anno post sequitur Rebius Abdollah Alharitsi et Alabbâs b. Saad cliens Haschemitarum; biennio praeterlapso Muhammedi b. Ibrahim Alhaschemi, cedere coguntur, cui Hedjaz et Jemana subditae erant, et cum ipse Meccae versaretur, Jemanam gubernandam curavit per filium suum, Alabbâsum. Sex mensibus elapsis quum homines cum Arraschido de eius iniuriis quaerelas haberent, hic in eius locum substituit Abdollahum b. Mosib b. Tsabit b. Azzobair, anno postea Ahhmedem b. Ismail b. Ali Alhaschemi, tum Ibrahimum Abdollahum b. Talhah b. Abi Talhah e stirpe Benu Abd Addâr. Anno praeterlapso Jemanae praeficitur Muhammedes b. Chalid b. Bermek, qui m. Schawwalo a. 183 Sanaam pervenit. Hujus virtutes magna laude praedicantur et flumen, quod ab ipso nomen Bermek accepit, urbem versus deduxit [**]). Cum autem incolae Tehamae ab eo desciscerent, Raschidus, cuius auxilium imploravit, suum clientem Hamâdum Attebrizium misit a. 184, qui multis illorum et fugatis et trucidatis populum in servitutem redegit. Hamâdus, sub cuius imperio provincia maxime floruit, abhinc rebus praeerat.

---

[*]) Abulf. A. M. II, 59.

[**]) Flumen huius nominis nusquam invenitur, ne in Kamuso quidem, ubi Bermek avus Jahjae b. Chalid nominatur. cf. ind. geogr. s. v. Sanaa.

Mortuo Raschido mense Rabia altero anni 193, successor filiusque Muhammedes Alamin *) Tebrizii praefecturam produxit; postea eum removit per Muhammedem b. Abdollah b. Melik Alchozai, qui in Jemanam profectus praefectos Hamadi opibus privavit; ceterum mores eius valde laudantur. Anno elapso sequitur Muhammedes b. Saad b. Assarah 'Alkenani, qui m. Scha'bano a. 195 Sanaam pervenit. Oritur jam seditio inter Mamunum **) et Aminum. Aminus obsidetur et mox occiditur a Thahiro b. Alhusain, cui populus continuo se subjecit. Factum hoc est a. 198 m. Muharramo. Thahirus jam Jemanae praeposuit Jezidum b. Djerir b. Iezîd b. Châlid b. Abdollah Alfesari. Mores eius pravi erant, et propter severitatem, qua subditos affecit, Mamunus in ejus locum substituit Omarum b. Ibrahim b. Wafids b Muhammed b. Zeid b. Abdollah b. Omar b. Alchattab; aliquanto post hunc rursus a praefectura removet per Ishakum b. Musa b. Isa b. Musa b. Muhammed b. Ali b. Abdollah b. Alabbâs, qui a. 198 m. Dsulka'dah advenit. Hic anno sequenti, iter in Hedjazum facturus, praefecturam in fratruelem suum Alkasimum b. Ismail transtulit. Sanaa dein profectus ab Arabibus impugnatus, statim revertitur. Interim Ibrahimus b. Musa b. Djafar Assadik ab Imamo Muhammede b. Ibrahim b. Thabathaba ***) anno 200 Ie-

*) Abulf. l. l. II, 97.

**) Ibid. II, 107.

***) Hic anno 199 ab Ahlio imperatore originem ducens et hanc ob causam Imami nomen sibi arrogans, con-

manae praeficitur. Is, quod permultos incolas interfici iussit, Aldjassar («mactator») dictus est. Nihilominus praefecturam obtinuit usque ad mortem Imami Muhammedis b. Ibrahim. Post Muhammedem Imamus fit Muhammedes b. Muhammed b. Zeid b. Ali b. Alhusain, Mamunus*) autem Muhammedem b. Ali b. Isa b. Mahân**) misit, qui provinciae praeesset, inter hunc et Ibrahimum b. Musa multa exstiterunt certamina, in quibus victor denique Ben Mahan evasit; postea Mamunus Iemanae praefecit Isaum b. Iezid Aldjaludi Attemimi. Ibn Mahan vero filium suum Abdollahum ex Sanaa cum decem millibus militum contra Aldjaludium misit; at Aldjaludius vicit eum, Sanaamque ingressus ipsum Ibn Mahan cepit et in vincula coniecit. Quo facto Aldjaludius singulas provinciae partes inter asseclas suos divisit, ipse in Irakam profectus omnibus his partium praefectis Hasanum b. Alminhal praeposuit. Anno 203 Mamunus tradidit Ben Abdollaho b. Zijad b. Walad Zejid b. Moawijjeh regiones Tehamiticas et partem Djabali administrandas; hicce Iemanam pervectus Zebidum condidit, quae quidem res mox uberius exponetur, si Deo visum fuerit.

---

tra Abbasidarum regnum Cufae seditionem movit et multa feliciter gessit. conf. Abulf. T. II, p. 107. De Ibrahimo ben-Musa conf. ibid. p. 109 sq.

*) Verba, quibus causa, cur Mamunus hunc virum in provinciam Jemanam miserit, traditur, omnino corrupta sunt, ut sensus ex iis vix erui possit.

**) In textu est باهان, sed postea continuo ماهان occurrit.

CAPUT PRIMUM.

De ipsa urbe Zebid.

Urbs Zebid quamquam viris doctis cuiusque generis maxime excellit, non tamen opibus et divitiis abundat, nam incolae maximam partem sunt pauperes. Est illa caput urbium provinciae Iemanensis, situ praeclaro, coelo salubri. Forma urbis circulo similis in media illa planitie, quae a montibus usque ad mare extenditur, sita est. Duas urbis partes meridionalem et septemtrionalem duo praeterfluunt flumina, quorum alterum urbis nomine vocatur et ob prophetae benedictionem prae ceteris omnibus Iemanae fluviis excellit, alterum, a parte septentrionali fluens, nominatur Rama. Ab orientali urbis parte oculus prospiciens montes videt celsos, spatio itineris dimidii unius diei remotos, ab occidentali, eodem intervallo, mare aestuans et navibus sulcatum. Magnitudine urbs Sanaam vincit, omnesque reliquas Iemanae urbes. Tempore antiquo haec regio Colaibi et Mohalheli ditionis fuit. Sanaa intervallo quadraginta parasangarum ab ea distat. Incolae Zebidi bonis moribus præstant, abundant hortis, arboribus et plantis cuiusque generis. Horti, qui extra urbem et intra sunt, aqua irrigantur, quae affertur per aquaeductum, exstructum a celeberrimo sui temporis geometra nomine Kadi Arraschid Abulhusain Ahmed b. Alkadi Abilhasan Ali b. Ibrahim b. Azzobair, qui obiit a. 563. Quaelibet vero in urbe domus puteo gaudet, ut huius rivuli aqua incolae carere possint.

Locus, quo Zebid condita est, antea tamaricibus et aracis (arboribus) erat stipatus, et arcibus oppidisque circumdatus; huc pertinebant Almijâmah et Annakir *). Zebid a. 204 m. Schabano a Muhammede b. Abdollah b. Zijad Alamavi iussu Chalifae Mamuni fundata et delineata est, et paulo postea muro circumdata ab Husaino b. Selamah, filio Abildjaischi b. Zijad, id quod narrat Ben Almelhuz. Sed quater postea novo muro cincta est, secunda vice a. 523—529 ab ultimo Veziro Abu Mensur Min Allah Alfatiki, qui suo tempore commemorabitur **), tertium tempore Benu Mehedi, quartum anno 589 a Seifolislamo Thagtakino b. Ajjub. Hic est ille murus, quo iam auctoris tempore urbs circumdata erat. Quatuor portis quoque eam instruxit. Porta orientalis accepit nomen Schabarik, quia ad huius nominis vicum ducit, septentrionalis Seham ad flumen Rama ducens, occidentalis Ghalafakat, quia versus huius nominis vicum celebrem directa fuit (auctoris tempore Nachl), australis Alkartab, quae a vico huius nominis in valle fluvii Zebid nomen duxit. In muro septem et centum turres statuto intervallo octoginta ulnarum exstructae erant. De ambitu urbis inter auctores non convenit et non idem variis temporibus fuisse videtur. Portus, quo urbs utebatur,

*) Locus valde corruptus, quem totum explicare non ausim. Urbium nomina alibi non memorantur, ipsa vero non bene scripta sunt et punctis diacriticis carent. Cf. et Hamaker. spec. Catal. p. 186 not.—

**) Vox وسسا, quae non distincte scripta et obelo notata est, ويثنا pronuntianda videtur.—

ad vicum Ghalafikat, ut inferior eius pars usque ad vicum Alahwab se extenderet, situs erat *).

CAPUT SECUNDUM.

Historia imperii Zijaditarum **).

Narrat Aldjennadius: cum Mamunus Muhammedem b. Abdollah b. Zijad in Jemanam mitte-

*) Uberius his de rebus exponemus in indic. geogr. sub voce Zebid.

**) Zijaditae originem traxerunt a Zijado, filio Somnajjae et Obaidi (ut alii volunt Abusofjani.) Hicce natus fuit tempore prophetae, atque postea, a Veziro Moa'wijja in deliciis habitus, Cufae praefectus est. (Anteeessor Moa'wijjae, Alius, eum Persidi iam praeposuerat.) Cum vero Zijadus ignobili loco esset natus, Moa'wijja, ut firmissimis eum vinculis sibi constringeret, anno 44 eum genti suae inserendum curavit, fratremque sibi adoptavit. Idque aegre quidem tulerunt Moslemi et praecipue Omajjadae, quum in eorum nobilissimam gentem vir mancipio genitus infunderetur, sed nihil id curans Moa'wijja potentiam Zijadi in maius adeo auxit, et Zijadus invicem provincias sibi traditas optime administravit. Posteri huius Zijadi tempore Chalifae Mahadi ex hac gente in quam Moa'wijja Zijadum induxerat, rursus eiecti sunt a. 160, suaeque stirpi redditi. Ab eodem Zebidi urbs originem petiit. Noster eum Muhammedem b. Abdollah b. Zijad nominavit, Abulfeda vero, qui Muhammedis pater fuerit, et qualis inter Zijadum et Muhammedem nexus sit, non constare refert. Addit vero, nonnullos eum filium Abdollahi. fil. Ibrahimi fil. Zijadi dicere. Hunc Muhammedem b. Zijad chalifa Mamunus, de turbatis Jemanae rebus certior factus, a. 203 cum magno exercitu illuc misit. Muhammedes, primum Meccam, inde, a. 204, in Jemanam profectus, Arabes seditiosos

ret, hoc praecipue ei praecepit, ut novam in hac provincia conderet urbem, eamque sitam in finibus Belad Alaschair (haec enim gens *) coniuncta cum gente Ac praecipue seditionem moverat), in valle fluvii Zebid. Is igitur cum viris duobus, e gente Benu Sulaiman oriundis, Ben Hescham b. Abdolmelik, veziri vicibus fungente, et Muhammede b. Huran Atta'lebi, iudice et Mufti, in Jemanam post peregrinationem sacram finitam anno 203 se contulit. Posteri huius Atta'lebi eiusque filii Abu Akamahi per longum abhinc tempus iudices Zebidi erant, usque ad tempus Ben Mehedi **). — Zijadus, Tehamae provincia sub ditionem redacta, omnibusque adversariis in Jemana victis, urbem fundavit, cui nomen indidit Zebid, idque, ut iam ante memoratum, die XXIV m. Scha'bani a. 204.

Venerat cum Zijado cliens Djafarus quidam, qui Michlafo Djafar nomen dedit. Djafarum

---

aggressus, Tehamam subegit et Zebidi fundamenta iecit. Haec Abulfedae narratio, quae exstat in A. M. t. I. p. 356—366. t. II. p. 41. et t. II. p. 122.

*) Praeter ea, quae ex ipso hoc loco patent, nihil cognitum habeo de hac regione, quae a gente huius nominis, quae eam obtinebat, nomen accepisse videtur. Firuzabadius nil affert, nisi الاشعر esse cognomen Naiti ben Udad, quod is pilis obductus natus sit; hunc vero esse patrem gentis Jemanensis, ad quam pertineat Abu Musa Alaschari: والاشعر ...... لقب نبت بن ادد لانه ولد وعليه شعر وهوابو قبيلة باليمن منهم ابو موسى الاشعرى. Cf. etiam indic. geogr. s. voce Wadi Rama. et s. v. Ak.

**) I. e. usque ad a. 551, quo Abyssinorum imperium in Jemana eversum est.

Zijadus cum magnis donis opimisque spoliis ad Mamunum misit. Tanta vero hic vir prudentia fuit praeditus et tantum in rebus gerendis Zijado auxilium praestitit, ut Jemanae incolae hac re inducti dicere solerent: ابن زياد بجعفره i. e. «Ibn-Zijadus per Djafarum suum exsistit». Arabibus Tehamitis conditione, ut equis non veherentur, pacem concesserat *) et quum rediens duo millia equitum, inter quos ex Chorasanae incolis nongenti, qui tanquam Abbassidarum asseclae nigris vestibus utebantur, secum duceret, potentia imperii Zijadi mirum in modum firmata et aucta fuit.

Zijadi imperium usque ad urbem Hali extensum ac magna potentia erat celebratum. In urbibus Sanaa, Sadah, Nedjrano et Beihano preces publicae eius nomine peragebantur. Cum Zijadus a. 245 mortuus esset, sequebatur filius eius Ibrahimus b. Muhammed, qui usque ad a. 289 imperium retinuit. Qui huic rursus successit, Zijadus b. Ibrahim, huius filius, paulo postea decessit. Frater eius, Abuldjeischus Ishakus ben Ibrahim, qui imperium accepit, post aliquod tempus non potuit uti porro membris, quam ob causam incolae variarum regionum obedientiam recusarunt et Djabali gentes pro eo preces publicas non ha-

---

*) Idem narrat Abulfeda l. l. II, 122, qui addit, Zijadum huic Djafaro (quem libertum eius nominat) tractum montanum (sive Djabalum) administrandum dedisse. Ceterum Abulfeda hunc Djafarum iisdem pene verbis, atque noster, describit, ut appareat, utrumque ex eodem auctore, scilicet Amaraho Jemanensi hausisse.—

buerunt. In hoc rerum statu Sulaiman ben Terf sibi Michlafum Sulaimani, qui tractus regionem ab oppido Schardjah usque ad oppidum Hali amplectitur, vindicavit, monetam cudi, preces suo nomine peragi curavit. Reditus earum regionum, quae hic rebellis sub ditione tenebat, quotannis quingenta millia denariorum erant. Urbes Luhadj et Abin, et quæ porro orientem versus vergunt, obedientiam erga Abuldjeischum deposuerunt. Eius tempore Alius b. Fadhl Alkarmathi in Tehamam pervenit et Zebidum impugnavit. Cum Abuldjeischus fugae se mandaret, ille urbe capta multos incolas, inter hos quatuor millia virginum captivarum, trucidavit*).

Mortuus Abuldjeischus a. 391**) filium reliquit, de cuius nomine scriptores in diversas abeunt sententias. Etenim alii eum Abdollahum, alii Zijadum, alii Ibrahimum nuncupant. Cum tenerae adhuc esset aetatis, amita eius Hend***) so-

*) Niebuhrius idem narrat, Alium ibn elfadl, ducem Karmitarum, Sanaam expugnasse, atque ad a. 303 regnasse, quo occisus sit. vid. eius descript. Arab. p. 188. Sales tradit, Karmitas usque ad a. 325 in Jemana regnasse.

**) Abulfeda neque incolas Djabali Abuldjeischum ab imperio removisse, neque Sulaimanum surrexisse narrat, neque Alium ben Fadhl in Tehamam esse profectum. Atque ne de mortis quidem anno consentit, cum referat, Abuldjeischum non anno 371 diem supremum obiisse. Vide Abulf. A. M. t. II, p. 124.

***) In textu legitur: وتولت كفالته عمته هند اخت ابى الجيش وعبد لابيه اسمه رشيد استاد حبشي Abulfeda iisdem paene usus verbis, aliquantum tamen a nostro discrepat, dicens: وتولت كفالة الطفل المذكور اخته

ror Abuldjeischi, una cum Reschido, servo Abyssinico, liberto Abuldjeischi, curam eius egit. At Reschidus mox obiit, quare in eius locum suffectus est Huseinus b. Salamah Reschidi famulus e Nubia oriundus. Ab hoc puer bene educabatur moresque eius praeclare informabantur. Huseinus postea in primis regis ministris fuit, cohibuitque potentiam regum Djabali, qui arces et pagos Jemanenses devicerant, ut paene omnia hostium manibus rursus eriperet. Oppidum Kadra ad fluvium Seham situm et Megfer ad fluvium Dewal et innumera praeterea aedificia et templa in diversis urbibus ab eo originem habuerunt. Ille etiam deserta aquis dulcibus instruxit, signa milliarium et parasangarum inde ab Hadhramauto usque ad Meccam instituit, Zebidum primum muro cinxit et in hac urbe templum magnum pluraque alia aedificavit. Liberalitas eius pluribus eiusmodi exemplis narratis laudibus effertur.

Obiit Husainus a. 402 v. 403. Tum imperium translatum est ad **Abdollahum**, ut fama fert *), et ipsum infantem, e stirpe Benu Zijad oriundum. Pro eo regio officio fungebantur matertera pueri et Merdjanus, unus e servis Huseini.

هند بنت ابى الجيش وتولى معها عبد لابى سيش اسمه رشد Igitur teste Abulfeda haec **Hend** fuit soror pueruli et filia Abuldjeischi, non amita illius, huiusque soror. Porro servus ille apud Abulf. non Raschid, sed Reschd vel Raschad dicitur cf. A. M. t. II, 124.

*) Apparet ex hoc loco, auctori non satis constare, an hoc eius nomen fuerit. Hoc confirmat Abulfeda, referens alios eum Ibrahimum, alios Abdollahum nominare. vid. A. M. l. l.

Merdjano duo rursus erant servi, quos a tenera aetate instituerat, deinde regionum praefectos fecerat. Fuerunt hi Nafisus et Nadjahus *). Nafisus cupiditate, iracundia, feritate affectus, Nadjahus contra mitis, iustitiae, mansuetudini deditus fuit. Nafisus educationi pueri regii praeerat, Nadjahus oppidorum Alkadrae, Mehdjemi, Muri et utriusque fluvii provinciam administrabat. Exoritur inter ambos ambitiosa contentio. Nafisus favore Merdjani gaudebat, eiusque iram contra Nadjahum excitare studuit eo, quod ei nuntiaret, amitam Abdollahi ad Nadjahum litteras dedisse eique favere. Res bene procedit; nam statim Merdjanus Nafisum iubet, amitam cum ipso Abdollaho in captivitatem abducere. Nafisus non hoc solum mandatum exsequitur, sed etiam ambos muro in palatio regio inclusos tenet **). Hoc factum est anno 407, et morte huius pueri finis imperii Zijaditarum accidit, qui regnaverant annos ducentos tres. Zijaditae initio imperii tanquam Chalifis Abbasidis subditos se gerebant, eisque munera mittebant; quum vero illorum res labefactatæ essent, re summum imperium exercebant, dum Abbasidis nomen imperii relinquentes pro iis preces publicas faciebant.

---

*) Abulfeda in reliquis plane consentit, sed loco Nafisi nomen Kais (قيس) affert. Quae sequuntur ab utroque eodem modo narrantur. A. M. l. l.

**) وبنى عليهما جدارا eadem verba apud Abulf. leguntur et bene illustrata sunt a Reiskio in t. II, p. 665.

CAPUT TERTIUM.

Imperium Abyssinorum e prosapia Nadjahi et Solaihitarum.

Oritur iam bellum inter Nafisum et Nadjahum; compluribus proeliis consertis Nafisus denique ad portam Zebidi victus et cum magna hominum multitudine occisus est, cum Nadjahus ab Arabibus valde adiuvaretur. Dies huius proelii, ad australem urbis portam commissi, nomine يوم العرق innotuit. Nadjahus Zebidum expugnat mense Dsu-l'Kadah a. 412, deinde amitam illam cum cliente producit eosque sepeliendos curat, Merdjanum autem cum cadavere Nafisi eorum loco muro includit *). Hinc Nadjahus imperii partes gessit, ut equo vectus ipse signo imperii, umbraculo scilicet, uteretur et numi nomine suo cuderentur, at ab Abbasidarum Chalifis in imperii dignitate confirmatus nomina honorifica المويد Almuajjid et نصير الدين Nazir Aldin accepit. Simul quoque ius, quem munere dignum haberet, iudicis creandi, in eum contulerunt. Ille deinde in hac dignitate et gloria permansit, in Tehama et maxima Djabali parte regnans, donec Alius b. Muhammed Solaihita, a. 429 in sumno monte Masaro in confinibus regi-

*) وبنى عليهما et noster codex et Abulf. ferunt. Reisk. dicit: „وبنى, procul dubio واغلق aut وختم legendum.“ Non puto, hoc opus esse; veri simile enim est, locum, quo rex cum amita muro incluserat, ianua fuisse destitutum; quorsum enim ianua? Igitur murus diruendus erat, cum illi detraherentur, et nunc denuo exstruendus. vid. Abulf. l. l. p, 128 not. y.

onis Harraz sedem collocans regionum incolas ad seditionem moveret. Ibidem sectatores ex tota Jemanae ditione se cum eo conjungentes opibus magnis adlatis multum eius potentiam auxerunt, ut ad Chalifam Almostansirum munera praeclara, ex quorum numero septuaginta gladii, quorum capuli ex carneolo fabricati, fuisse dicuntur, per duos viros ex sua gente, quorum alteri nomen Ahmed ben-Muhammed, alteri Abu-Seba Ahmed ben-Almutsaffar erat, mittere posset, et simul ad partes Almostanziri Abbasidae sequendas homines invitaret. His autem muneribus laetus Chalifa vexilla cognominibus honorificis ornata remitti eique Jemanae provinciam tradi iubet *).

Ante hoc tempus Solaihita Sanaa potitus erat, Hamdano expulso; inde vero timore Nadjahi se movere non ausus plus una vice mortem eius tentavit. Tandem per virginem veneno eum interficiendum curavit in urbe Kadra, a. 452, deinde Zebidum se contulit.

E quinque filiis Nadjahi Saido, Djajascho, Maariko, Addahira et Mensuro, qui ex urbe Zebido depulsi erant, maximus natu, Maarikus se ipsum occidit, ceteri aufugiunt ad urbem Dehlek. Alius ben Muhammed Solaihita autem, qui non solum regiis virtutibus, sed poeticis etiam dotibus excellebat, anno 455 imperium inde a Mecca usque ad Hadhramautum extendit, sedem imperii Sanaam constituit, quo reges Jemanenses

*) Abulfeda narrat Nadjahto veneno interfecto filios per triennium imperio functos esse, tum Solaihitam advectum eos propulisse; ita Dehlecum eos eufugisse, ubi permanserint quandiu Solaihita regnaverit. A. M. III p. 56.

quos subegerat, secum duxit. Urbs Zebid et Tehamae provincia sub eius auspiciis ab Asado b. Schehabo, uxoris, Asma Om-Almocarrem appellatae, fratre, ab a. 456—473 gubernatur *) qui benigne cum subditis egit et Sunnitis libere doctrinam suam profitendi veniam concessit. Ex Tehama vero (ut videtur quotannis) decies centena millia denariorum Sanaam mittebat.

Solaihita secunda fortuna usus est, usque dum a. 473 m. Dsul Ka'dah peregrinationem Meccanam suscepturus, filium Mokarramum sibi substitueret. Cum magna sociorum turba, magnaque pompa deinde iter ingressus est. Interim filii Nadjahi, qui ante in Abyssiniam aufugerant, Solaihitam iter iam facientem continuo sequebantur, præcipue autem Saidus Alahwal, cum exercitu quinque millium ab Abyssinia mari profectus et ad littus Almuhadjdjami (المهجم) appulsus, Solaihitae obviam it. Hunc, qui apud praedium Om-Aldohaim et Bir Om-Mahbad appellatum castra metatus erat, omnibus meridiei tempore somno indulgentibus, una cum fratre Abdollaho in tentorio Said Alahwal trucidavit. Dein quemque in castris obvium interfecit, quum nemo, summo terrore perculsus, nec ad pugnam armatus, se defenderet, ita ut nullus pæne salvus evaderet**). Alahwal iam magnis opibus, quas Solaihita secum duxerat, potitus, servitia eius inter-

---

*) Omitto auctoris narrationem de fraude, qua Solaihitae uxor sit usa, ut fratri Asado b. Schehab dignitatem attribueret.

**) Abulfeda eadem paene ac noster refert. Imperii Solaihitarum Niebuhrius quoque mentionem fecit, qui in ipsa Jemana codicem de Jemanensi historia expo-

fecit et uxorem Asmam captivam duxit, ante cuius domum capita Solaihitae eiusque fratris suspendi iussit, quae res versibus nonnullis a scriptore nostro est depicta.

Asma per annum integrum in captivitate retinebatur, neque Mocarramum *) de conditione sua certiorem facere potuit, donec dolo adhibito tandem litteras ad eum daret, scribens, stupratam se esse ab Ahwalo. Hanc rem, a vero abhorrentem, finxit, ut eum et Arabes ad bellum contra Ahwalum irritaret. Ille, epistola accepta, principes Arabum in concionem convocavit, et coram omnibus epistolam legit. Qua re quum animi omnium ira inflammati essent, cum exercitu trium millium equitum praeter pedites Sanaa profectus est. In via oratione habita volentibus redeundi potestatem concessit, ne aliquis invitus in periculum iret, et minus strenue pugnaret. Pars rediere. Neque Ahwalus, nuntio huius rei adlato, copias suas convocare cessavit. Almocarramus, cum Arabibus suis Zebidum pervectus, excercitum Ahwali ad portam septentrionalem *) fregit: ipse Ahwalus cum par-

---

nentem invenit, et quaedam ex eo tradidit. Hoc referente, „anno 439 gens Solaihi (dixit ille Solaiki quae eadem esse videtur cum nostra) in Jemana regnavit, cuius ultimus, Dai Saba ibn Ahmed, anno 460 mortuus est. Alius quidam, nomine Hatem ibn Chaschim al Hamdani a. 502 decessit.“ — Sed Hatemus hicce non ad gentem Solaihitarum pertinet. Ille Dai Saba ibn Ahmed idem esse videtur, quem noster Saba b. Ahmed Almudhaffar nuncupat, filius patrui Mocarrami.— Vid. A. M. III, 56. Niebuhr. p. 188.

*) Mocarramus hicce imperium Djabali regionis montanae obtinuit.

te exercitus, quam ad portam *) Nachl paratam reliquerat, ad mare profugit et navi conscensa Dehlekum vectus est. Arabes iam in Zebidum irruperunt, Mocarramus matrem liberavit et in honorem capitum illorum, quae Ahwalus suspenderat, templum exstruxit. Tum vero cum matre Sanaam reversus, Zebido et rebus in Tehama gerendis avunculum Asadum b. Schehab praeposuit. Asma anno 496 obiit **).

Ille autem, ad quem ab hoc inde tempore belli contra Abyssinos gerendi negotium praecipue spectabat, erat Sultanus Saba b. Ahmed b. Almudhaffar, frater patrui Mocarrami, vir quidem parva corporis statura, sed tam generositatis quam artis poëticae virtutibus ornatus, qui arcem Asbah et reliquas regiones montanas prope Zebidum, nimirum Usab, Adhdhafar et Reimah, sub imperio tenebat. Inter hunc enim et gentem Nadjahi vario Marte pugnabatur, dum Arabes hieme Zebidi degere, Abyssinis inde Dehlekum fugientibus, aestate vero quum hi reduces facti esset, Arabes in montes redire solebant. In vectigalibus autem exigendis uterque, et Ahwalus et Saba, eorum, quæ alterius praefectis incolae iam solverant, rationem habebant, neque iterum ea incolas

*) Textus habet: باب المحرك الى القبلة „porta Almoharrec versus Kiblam spectans“, i. e. templum Meccanum, haec vero porta septentrionalis est, quod Zebid septentrionem versus Meccam respicit.

**) Abulfeda eius mortem in anno 477 collocavit, et sic in nostro quoque codice legendum putaverim, quod auctor hoc ipso loco, ubi nondum ad nonagesimum annum processit, eius mortem narrat. vid Abulf. A. M. t. III, 60. —

pendere cogebant. Hic rerum status duravit, donec Saba cum exercitu trium millium equitum et decem millium peditum adveniens Zebidum oppidum, in quo tunc temporis Abyssini erant, obsideret *). Abyssini insidiose moram nectentes timoremque simulantes, ut incautum eum redderent, ex inopinato nocte quadam Sabae decepto et nil mali timenti supervenere, et maximam militum partem trucidarunt. Ipse pedibus per totam noctem fugiens vix, quum Aurora illucescente equum nactus esset, morti se eripuit. Ab eo inde tempore Arabes non amplius in Tehamam rediere.

Post mortem vero matris Almocarramus propter ingenii imbecillitatem rebus gerendis impar, uxori suae Assajjidah filiae Ahmedis summas res tradiderat. Illa, quum Sanaae degens, ut incolarum vivendi modum et mentem experiretur, incolas subito convocari iussisset, et illos omnes armatos conspexisset, timore perculsa Djoblam cum rege transmigravit, et quum ibi eandem rem repetens, incolas aut triticum vel butyrum portantes aut pecora ducentes vidisset, se horum rusticorum

*) Abulfeda eius mentionem non facit, narrat autem, a. 479 Nadjahidas Zebidum denuo recuperasse, Asadum propulisse, at 480 vel 481 Mekremum rursus urbem occupasse Saidumque occidisse Djajaschum, qui fuga in Indiam se subduxerit, fine a. 481 Zebidum reversum ab a. 482 imperium Tehamae retinuisse, quamquam a Mekremo, regiones montanas adhuc obtinente, continuo lacessitum. Anno 498 aut 500 mortuum a filio Fatheko in imperio exceptum esse. Narrat igitur Abulf. summam eius, quod noster fusius exponit. In sequentibus itidem ambo consentiunt. A. M. III, 60. 62.

hominum mores multo illis praeferre, regi declaravit; quam ob causam ibi sedem fixerunt. Hoc oppidum inter duos fluvios perennes situm, ab Abdollaho b. Muhammed b. Ali Assolaihi a. 458 erat exstructum.

Jam vero Alahwalus Zebidum rediit, indeque Schehabi filium expulit. Sed uxor Aocarrami, Alahwalum perdere cupiens, imperavit praefecto arcis Alschehr الشهر, ut litteris ei se arcem, qua potitus, et reginam et eius terras si eas in potestatem redigere posset, traditurum polliceretur. Ille nil doli suspicans et, statuto die, cum magno exercitu accessit, et in propinquo arcis ab exercitu satis valido invasus, cum magna militum parte, quam secum duxit, occisus est anno 482. Uxor Om-Almaarik eius captiva adducebatur ad Saidijjam filiam Ahmedis. Haec Saidijja iam antea, cum cognitum haberet Ahwalum Zebido profectum esse, Asadum b. Schehab, qui Sanaae versabatur, cum exercitu Zebidum se conferre iusserat, et ille, dicto audiens, urbem praesidio vacuam aggressus est cepitque; reliqui enim gentis Nadjahi aufugerant. Ex his Djajjaschus b. Nadjah, cum Chalafo, veziro suo, per sex menses in India commoratus, hoc anno in Iemanam rediit. Ingressus Adenum Chalafum misit Zebidum, eumque divulgare iussit, ipsum in India mortuum esse; tum vero explorare, quinam esset rerum status, praecipue, quinam e familia Abyssinorum superstites essent. Is Dsu - Djablam se contulit, ibi, quae Mocarrami conditio sit, exploraturus; audivit Mocarramum voluptatibus se dedisse et imperium in uxorem transtulisse. His compertis Zebidum se contulit, ubi Vezirus ei nuntiavit, multos adhuc exstare fautores et propinquos, quibus dux tantum deesset ad

seditionem contra Mocarramum concitandam. — Djajjaschus dein ex more Indorum barba tonsa, ungulis et crinibus promissis et altero oculorum panniculo nigro obtecto, e regione palatii regii versabatur, unde multi homines egredi solebant, quorum sermones auscultaret. Aliquando Vezirum Alium b. Alkom, cui tunc temporis ob quandam causam cum Asahdo b. Schehab, qui praefectus Zebidi a Mocarramo constitutus erat, inimicitiae intercesserant, favorem suum erga gentem Nadjahi his verbis declarantem audivit: «Si canem e gente Nadjahi invenirem, profecto eum rebus praeficerem!“ Quibus verbis animatus semper in propinquo Veziri versabatur, et in eius gratiam inire studuit. Accidit quoque, ut filius Veziri Alhosain appellatus, qui tunc temporis in oppido Zebido princeps in ludo latrunculorum habebatur, eum, quem Indum natione putabat, ludi causa ad se invitaret. Principis filius victus, patri rem nuntiavit, qui huius rei admiratione affectus dixit, in hoc oppido neminem huic rei parem esse praeter Djajjaschum ben-Nadjah; eum autem in India mortem occubuisse. Tum et ipse egressus quid arte valeret, Indum tentavit. Hic vincere devitavit, ne gratiam Veziri amitteret. Quum vero ex verbis a Veziro saepius prolatis, eius erga gentem Nadjahi favorem cognovisset, non amplius de bono rei successu dubitans, ad Abyssinos in variis regionibus dispersos litteras dedit, quibus, ut parati essent, hortaretur. Mandato obsequentes quinque millia militum tam in ipsam urbem, quam in regionem circumiacentem convenerunt, inter quos Djajjaschus Vezirum suum, quocum qualibet nocte colloqui solebat, decem millia denariorum, quos apud quendam urbis incolam Amrum ben

Schohaim appellatum, deposuerat, distribuere iussit.

Aliquo die, quo Vezirus Ahli ben Alkom iratus a principe domum redierat, et latrunculorum lusu moerorem depellere studebat, Veziri filius domum interea rediens, scuticae verberibus servum quendam castigabat. Djajjaschus, quum in lusum omni intentus animo et castigationem non curans scutica extrema percuteretur, perterritus, ut eius mos ferebat, clamavit «Ego sum Abu-l'Tham i. e. pater tumidi«. Tum Vezirus, qui iam dudum suspicionem quandam fovisse videtur, quod nomen sit viro, interrogavit. Sed ille poenitentia facti ductus et hominum perfidiam timens se nomen Bahr بخر (vel potius بحر) „mare“ gerere dixit.

Non multo post idem cum Veziri filio ludo occupatus erat, quum pater, qui aderat, filio, si victor huius certaminis evaderet, multam pecuniam solvere promisit. Djajjaschus, victoria Veziri filio concessa, tam hunc quam patrem sibi conciliare cupiens negligenter rem tractavit et victus est. Qua re summopere laetatus ille non solum verborum iniuria, sed quoque, eo, quod panniculum ab eius oculo detraheret, virum lacessivit, ut iratus exclamaret «Ego sum Djajjasch ben-Nedjah» tum autem fuga salutem peteret. Multum tamen aberat, ut Vezirus rei cognitionem aegre tulisset, ut magno gaudio affectus fugientem insequeretur, et promissis datis reduceret. Uterque iuramentis mutuis, foedus pactum firmarunt. At paulo postea eidem nuntiavit, totam hanc rem ad aures Asadi b. Schehab pervenisse. Quo nuntio accepto Djajjaschus lituos canere iussit, ita ut non solum illa quinque millia Abyssinorum, sed omnes urbis incolae ad eum concurrerent. Ibn Schehab in captivitatem

redactus est, sed Djasjaschus leniter et mite cum eo egit. Ita somnium illud, quod ante distincte enarraverat, plane verum inventum est; Djajjaschus enim intra mensis spatium exercitum viginti millium militum instruere potuit. Appellabatur ille honoris causa « iustus », et cognomen Abuththami ei inditum est. Excelluit cum mansuetudine et benignitate erga subditos, tum quoque arte poëtica; conscripsit etiam chronicon de historia Zebidi *) quod bonae frugis est plenum. Regnavit ille in Tehama continuo inde ab a. 482 usque ad a. 498, neque multum damni accepit ex incursionibus, quas Mocarramus interdum in fines urbis Zebidi faciebat.

Anno 498, quo Djajjaschus decessit, m. Dsulhidjdjah, e sex filiis quos reliquit, secutus est Alfatik b. Djajjasch e serva Indica natus. Sed duo eius fratres Ibrahimus et Abdolwahidus rebelles contra eum surrexerunt, exercitu praecipue volente, ut Abdolwahidus regnum patris susciperet. Satellites patris inter se discordes aut unius aut alterius partes sequebantur, et tandem post plura proelia res eo pervenit, ut Fatikus de Abdolwahido victoriam reportaret. Quo facto Fatikus fratrem in gratiam accepit beneficiisque affecit. Ibrahimus vero ad Asadum b. Wajil b. Isa, Wajelitam, Kelahitam, Himjaritam, Wahatitam se contulit, beneque ab eo est acceptus.

Fatikus, a. 4o3 mortuus, filium Mensurum b. Fatik reliquit adhuc infantem. Servitia, magnam iam dudum adepta auctoritatem, Ibrahimum b. Djajjasch, fratrem mortui Fatiki, contra Mensurum, qui in eorum potestate erat, excitarunt.

*) Huius libri titulus est المفيد في اخبار زبيد.

Cui in Tehamam descendenti quum satellites Fatiki ad vicum Howaib obviam ivissent, Abdolwahidus Zebidum, praesidio eorum vacuam, occupavit ibique regnavit. Magistri Mensuri, ibi versantes, noctu clam cum hoc puero ad servos patris eius aufugerunt. Ibrahimus, hoc nuntio accepto, ad Huseinum b. Abilhafâdh Alhudjari, degentem Djuraitsi, se convertit. Servi Fatiki autem cum Mensuro ab Almeliko b. Abilberekat b. Alala b. Alwalid Alwalidi Alhimjari, praefecto arcis Taakkur, auxilium petierunt. Hic morem iis gerens Abdolwahidum ex urbe propulit, sed perfide iam imperium sibimet ipsi vindicare voluit. Cum autem paulo post audiret, Fakihos nonnullos arce Taakkur potitos esse, Zebido relicta, in Djabalum contendit, atque mox veneno se ipsum interfecit. Abhinc ipse Almensurus b. Fâtik imperio Tehamae functus est, mox autem excipiebatur a filio Fatiko b. Mensur, et hoc mortuo fratruelis eius Fatikus b. Muhammed b. Mensur b. Fatik b. Djajjasch a. 531 imperium accepit. Is anno 553 a servis suis occisus est. Ab eo imperium ad Alium b. Mehedi in Iemana rebellantem transiit, mense Redjebi anni 554. Fatiki posteri nomine tenus reges quidem erant, re vera servi et Fatiki et Mensuri, qui Veziri munere fungebantur, regnabant; illi enim externis imperii signis ornati erant, dum ipsorum nomina post principes ex Abbasidarum gente in precibus publicis recitabantur et in monetis legebantur, et ipsi tempore peregrinationis sacrae sub umbraculo vehebantur etc.; hi vero iure imperandi et interdicendi fruebantur, et res administrabant.

CAPUT QUARTUM.

Veziri e stirpe Nadjahi.

Referemus iam de Veziris, e servis Fatiki oriundis. Primus horum erat Anisus Alfatiki, isque e tribu Djazalijum, quæ pertinet ad stirpem Habaschah, et ex qua reges Nadjahidarum oriundi erant. Anisus erat vir præpotens, iniquus, metuendus, simul vero fortis, liberalis et beneficus. Ipso auctore Arabes stipendia accipiebant, ut Tehamæ provinciam contra hostes defenderent. Veziratu non contentus umbraculum sibi perfici et nomen suum in monetis excudi iussit, et principem Mensurum b. Fatik dolose interimere studuit. Sed Mensurus, re comperta, illum ad convivium invitatum trucidavit, a. 517, eiusque opes sibi vindicavit. Primus hic e Veziris palam occisus est. Quo facto Mensurus Abu Mensurum Min Allah Alfatiki vezirum constituit, qui præ aliis veziris cum generositate tum fortitudine excelluit, artibus quoque favit. Hicce Alium b. Ibrahim Aegyptiacum, eundem appellatum Ibn Nadjib Addaulah ad portam Zebidi devicit, et circiter nongentos ex sociis eius occidit, fine anni 518, præterea prœlio cum Asahdo b. Abilfutuh conserto insignis fuit, quo plus mille eius militum trucidavit. Postea vero, regnum affectans, Mensurum principem veneno interfecit et regnum in filium eius Fatikum b. Mensur, ex uxore Harrah Alam natum, transtulit. Hæc Harrah Alam, quam Mensurus e reliquiis Anisi antea sibi vindicarat, propter eximiam dexteritatem et præclaras virtutes cuiusvis generis maxima laude digna fuit, quippe quæ tanta in Muhammedanos beneficia contulerit, ut vix describi possint. Tan-

ta autem erat prudentia, ut nulla res sine eius consensu decerneretur. Mortua est anno 545. Filius eius Fatikus b. Mensur tum temporis in prima ætate adhuc erat, cum Min Allahus occiso patre regem eum constitueret. Min Allah mox mille concubinas, quas reliquerat Mensurus, et multas præterea castas virgines sibi adiunxit, ita ut una tantum Harrah Alam cum virginibus, quae ei aderant, intacta evaderet. Erat enim immodica accensus libidine, ut ipsæ clientum filiae ab eo stuprarentur, nemine impediente, dum omnes maximo eius timore perterriti erant. Cum reliquae nullo modo ab eo liberari possent, tandem una earum, dolo adhibito, eum nocte quadam post concubitum veneno interfecit, ratione quam auctor pluribus depinxit. Filius mortuum eum inventum clam sepelivit m. Djumada alt. a. 524. Excepta hac libidine multæ virtutes Min Allahi laudantur.

Alhamah Alam post mortem eius Alkaïdum Rezikum Alfatiki vezirum constituit, virum liberalem fortemque, qui vero multis donis ditabat poëtas, nullam impensam et sumtum in exercitum faciens. Cum hic veziratu fungi amplius non posset, abdicavit in locum suum substituens Almensurum Muflihum Alfatiki, e tribu Saharat, quæ ad stirpem Habaschah pertinet; cognominatus est Abulmensur, cum hic (Mensur) ei filius nasceretur. Et huius virtutes maxima laude praedicantur, ita, ut in proverbium abirent. Dicere enim solebant, hunc, si e stirpe Koraischitarum oriundus fuisset, conditiones sub quibus Chalifatus summam dignitatem obtineret, omnimodo implevisset. Cum eius tempore Abulmeali b. Alhabab ex Aegypto illuc venisset, et famulum Abyssinicum emisset,

hic vero ad servos Muflihi aufugeret; ille disticha nonnulla ad Muflihum misit, quibus magnitudinem et potentiam eius valde celebraret, quæ velut pluviae guttae ad omnes pertingerent. Muflihus, consilio, quo commotus ille haec disticha miserit, cognito, servum ei restituit.

Interea inimicitiae Mensuro cum Alkaïdo Sururo intercesserunt, quarum hic fuit finis, ut Mensurus Zebido pulsus in arcem Kersch confugeret, ex qua saepius Tehamam hostiliter invasit, et pluribus cum Saruro prœliis certavit, sed tandem fractus et non amplius ex arce egredi conatus anno 527, secundum alios 529 diem supremum obiit. Filius eius, Mensurus, per tempus aliquod bellum continuat. Mox vero, ab amicis derelictus, securitatem petit ab Ikbalo Alfatiki, qui tunc temporis vezirus erat constitutus. Securitate tam a Sultano quam a Veziro concessa, Zebidum se contulit, ubi primum benigne exceptus postero die in carcerem coniectus et noctu a Veziro occisus est. Sultanum Fatikum b. Mensur et Sarurum, qui ambo hac de re irati erant, blanditiis demulcet, at paulo post ipsum Sultanum veneno interficit a. 531 m. Scha'bano. Proceres imperii iam, cum Sultanus prolem non reliquisset, Fatikum b. Muhammed b. Fatik ben Almali Djajjasch*) successorem constituunt, et Ikbalus Alfatiki abhinc fortunam inimicam experiebatur.

Ikbalus autem ille Alfatiki hac ratione veziratum assecutus erat. Accreverat in palatio Fatiki b.

---

*) فاتک بن محمد بن فاتک, scriba omisit بن منصور etenim ante hic rex vocabatur فاتك بن محمد بن منصور بن فاتک cod. p. 13, 11.

Mensur, filii Alharrah Alam. Haec regina multos servos coëmerat et instituendos curaverat, in his Sarurum illum, qui prae ceteris excellens omnibus praeponebatur. Iam vero cum Alharrah Alam magnam haberet potestatem, servique illi per eam auctoritatem accepissent et magnum equitum et peditum numerum sibi adiunxissent, Mufliho ex urbe depulso, Ikbalum constituerunt vezirum. Cum vero hicce postmodum Sultanum interfecisset, veziratum ei rursus eripuere atque in Alkaidum Sarurum contulerunt, qui, teste Amaraho, ultimus fuit vezirus. Idem auctor integrum eiûs nomen Abu Muhammed Sarur Alfatiki fuisse, eumque ad tribum Amdjarah e stirpe Habaschah pertinuisse, iure suo contendit.

Hoc igitur modo Veziratus Ikbalo ereptus et Saruro traditus est. Sarurus vero, vezirus factus, eximia laude dignum se gessit, ut qui pietate erga Deum, cognitione diversorum honoris ac dignitatis graduum *), comitate erga subditos excelleret tanta, ut eos, qui impedirentur quadam re quin ipsum visitarent, saepissime ipse adiret. Si quis rem ab eo petebat, precibus eius satisfaciebat, sive ignobilis esset, sive nobilis, in iudicium vocatus humiliter et summisse aderat, magna legis aestimatione commotus, qua caeteris exemplo praeiret; doctis favit, certamina forensia maxima iustitia diremit, precationes iusto tempore absolvit, to-

*) Hic sensus exprimitur verbis: وكان من اعلم الناس بالمنازل Haud opus videtur annotare, viris doctis hanc cognitionem praecipuo honori fuisse, quare, si cuius doctrina et sapientia laudatur, haec cognitio بالمنازل raro omittitur.

tam vitam ordine constituto transegit. Interdum noctu, uno tantum famulo comitante, ad Alharrah reginam se contulit, ut de rebus agendis cum ea consilium conferret. Atque hoc quidem modo vitam gessit, usque dum tempore tertiae precationis pomeridianae die veneris, duodecimo m. Redjebi a. 551 in templo, quod aedificandum curaverat, interficeretur cum pluribus a Muharramo, uno ex sociis ben Mehedi. Templum eius hodie quoque notum est nomine Moschea Saruri *).

Tempore imperii gentis Nadjàhi aquaeductus ille Zebidi exstructus est ab Ahmede b. Abilhasan **).

Teste Aldjennadio imperium regum Abyssinorum incepit a rege probo et bene de hominibus merito Alhusaino b. Selamah, et finitum cum eodem nempe Saruro a. 400 — usque ad 551 duravit ***).

---

*) Auctor quidem totam eius vivendi rationem et quanta familiaritate reginae Harrah Alam usus sit, multis verbis describit; quae omnia licet non omni momento careant, ob loci angustiam omittere placet. In fine huius descriptionis addit auctor: وانما اوردنا منها قليلا من كثير „Ex multis (huius viri praeclaris rebus gestis et meritis) pauca tantummodo attulimus.“

**) Hoc iam ante narratum est. Ahmed b. Abilhasan a. 563 decessit. vid. cod. p. 7.

***) Video Niebuhrium memorasse, Imamum Moswakkelolahum Ahmedem ibn Soliman a. 545 regnasse in tractibus Sanaae, Nedjrani, Djofi et Daheri, reliquam provinciam Sultano Hatemo ibn Ahmed subditam fuisse, atque e posteris eius Alium b. Halem a. 569 adhuc regnasse cf. eius descript. Arab. p. 188. 189. —

CAPUT QUINTUM.

Imperium Meheditarum.

Interfecto Saruro singuli optimatium imperium sibi vindicare voluerunt, eoque imperii res bene administrare et confirmare neglexerunt.

Alius ben Mehedi *) post mortem reginæ Alharrah, quam antea retulimus **), ex urbe sua Alanbarah ad arcem Scherf, pertinentem ad arces Oesabi (Usabi) in Djabalo se contulerat. Hinc expeditiones faciens in Zebidum ab agris circum urbem sitis non prius decessit, quam, campis penitus devastatis, et incolis fugatis, post multa prœlia ipsam urbem expugnavit, magnam-

*) Erat ille ex Himjaritis oriundus. Patre probo natus Meccam se contulit, ibique consortium cum Iracae incolis contraxit, quorum doctrinas penitus ediscebat. Cum non solum Haditsi Coranique cognitione excelleret, vulgi animos sibi his artibus conciliavit et potentiam nactus exercituque instructus novum imperium instituendi consilium cepit. Hinc montes Iemanae suae ditionis fecit, arci Scherf, a gente quadam Chaulainitica habitatae, Sabam quendam praefecit; etenim Chaulanitae ab eius partibus stabant, quos hac de causa الانصار, Ansaros, nominabat, quemadmodum Muhammedes olim Medinenses, et eos, qui e Tehama secum ad hanc arcem profecti erant, المهاجرين Almuhadjirin (exsulantes), quemadmodum Muhammedes Meccanos, qui cum eo profugerant Medinam. His virum nomine Attawini praefecit, et utrique, cum Sabae tum Attawinio, titulum Scheicholislam et Nakib indidit. E Djabalo deinde in Tehamam excurrentes modo Zebidum obsederunt, donec Fatikus diem obiret et urbs expugnaretur, XIV Redjebi a. 554. Haec ex Amaraho refert Abulfeda, paulo fusius quam noster, vide A. M. T. III. 566. 568. —

**) Obiit a. 545. vid. cod. p. 13.

que ibi ex more suo violentiam exercuit, die Veneris XIV Redjebi a. 554. Capta urbe per duo tantum menses et viginti unum dies regnavit; septimo enim mensis Schawwali obiit.

Mortuum filius Mehedi b. Ali sequitur, patrem sepeliendum et preces rite peragendas curat *). Mehedi dein}, imperio in Tehama accepto, ceteras regiones debellavit, multos subditorum trucidavit, terras vastavit, m. Schawwalo a. 558. Deinde vero, cum uredo aliquam corporis partem arriperet, lecticae impositus Zebidum vectus est, ibique animam exspiravit, initio m. Dsulka'dah anni ante allati. Sequebatur ille in vita regulam Abuhanifæ **), peccata habebat ingrata multosque, qui non idem cum ipso in religione sentiebant, occidit ***).

Mortuum excepit frater Abdonnabii, in vita communi titulis Domini et Imami affectus, qui initio perfidia fratris Abdollahî dignitate exu-

---

*) Narratur paucis de loco funeris eius, et de monumentis quae ab Alio originem petierunt atque auctoris adhuc tempore restabant, quae nos satius duximus omittere.

**) Abuhanifa Noomanus ibn Thabet, pater sectae Hanefitarum, anno 70 vel 80, vel 61 natus, a. 150 vel 151 vel 153 mortuus est. Asseclae eius in rebus dubiis disquirendis solam rationem adhibuerunt, quare اصحاب الرأى dicti sunt. vid. p, 27 et 291, 292. Adde Salesium in prolegg. ad versionem Corani. —

***) De hoc Abulfeda nil nisi nomen, de mortis anno non constare ait. Quod noster vero de Mehedi b. Ali refert, quae scilicet cogitandi et agendi ratio ei fuerit, id Abulfeda de Abu Ali Mehedi, imperii conditore, praedicat. A. M. t. III, 568. 570. Plura quae noster de eius sentiendi et agendi ratione affert, brevitati studentes omisimus.

tus, mox imperium recuperavit. Res gestae eius contra Benu Sulaiman in oppidis Lahadj *), Abin et Michlafo Saïd celebratae sunt. Duas expeditiones bellicas suscepit, alteram contra Abinum medio mense Safari a. 559, qua terram vastavit, multosque homines trucidavit. Deinde usque ad a. 561 Zebidi commoratus alteram expeditionem contra Michlafum Sulaimani iniit, multosque incolarum occidit, in his Wahasum b. Anim b. Jahja b. Hamza b. Wahas Assulaimani, clarissimum eorum Emirum et principem, in cuius mortem Abunnabijus carmen celebratissimum composuit. Mense Rebia priori anni eiusdem Abdonnabijus fratrem Ahmedem b. Ali ad urbem Djennadum reficiendam misit, quod negotium ille per totum hunc mensem exsecutus est **). His factis Abdonnabijus cum fratre in urbem Alchauah excurrit, quam Ahmedes igne vastavit. Abdonnabijus autem Djennadum reversus post parvum temporis intervallum Adenum capere studuit, sed frustra. Coactus est enim obsidionem a. 566. omittere, iamque princeps huius urbis, Sultanus Chatimus b. Ali b. Addai Seba b. Abissäûd Azzerii, adiutus a Sultano Alio b. Chatim Alhamdani, Sanaæ principe, contra Abdonnabijum, Taazi degentem, contendit. Exercitus b. Mehedi gravi proelio îm. Rebio priori a. 569 profligatur, multis

*) In textu est للحج, cui substituendum puto لحج. vid. indic. geographicum.

**) Misit fratrem لعمارة القرية; saepe vox عمر in hoc nexu invenitur, neque plane constat, quae vera eius sit significatio. Puto auctorem urbis refectionem hoc verbo indicare, non vero fundationem. Djennad enim iam dudum erat condita.

necatis. Pulsi redierunt Zebidum, ubi regnum per quindecim annos, tres menses, octo dies tenebant, usque ad id tempus, quo magnus Tsauran Schah advenit, quæ quidem res mox narrabitur.

CAPUT SEXTUM.

Imperium Ajubitarum.

Imperium gentis Meheditarum abolevit per Fakroddinum Tsauran Schah, cui Jemanam ingrediendi hæc fuit causa. Frater eius, rex Annasirus Selahoddinus Jusuf b. Ajub b. Sa'di b. Merwan Alajubi Curda natione virum quendam haereticum Abd-Alnabi ben-Mehdi appellatum Jemanæ provinciam tenere, eumque, suum imperium omnes terræ regiones, in quibus sol oriretur, amplexurum esse, contendere audiverat. Et hac de re iratus fratrem cum exercitu magno contra eum misit. Is Jemanam ingressus Zebidum expugnavit, d. XXVII m. Schawwali a. 569 atque propter potentiam et victoriam cognomen Almuadhdham accepit. Abdonnabijus, in captivitatem redactus, exspiravit. Hoc modo imperium Meheditarum ad finem perductum est *). Al-

*) Cf. Allgemeine Weltgeschichte der neuern Zeiten, t. 3. §. 8. et Abulf. A. M. t. IV. p. 8. Selahoddinus, rex Aegypti, potentiam suam confirmare voluit, timens ne Nuroddinum invaderet libido in Aegyptum excurrendi. Hanc igitur ob causam fratrem Tsavranschahum (Abulfeda eum توران شاه nominat)

muadhdhamus et Adenum Meheditarum potestati eripuit, præfecto urbis, Balalo b. Naschir Almehedi, vicario gentis Zeri' (نايب ال زريع بعدن) *) interfecto, eiusque thesauris occupatis, a. 570. Tum Sanaam se contulit et eam urbem in potestatem suam redegit ibique compluria ædificia exstruxit. Zebidi præfectum constituit Abulmaimunum Almubarak b. Kamil b. Ali b. Mekled b. Nasr b. Monkid Alkenani, cognomine Medjoddin, eundem nominatum Saif eddauleh; reliquis regni partibus alios praeposuit, Taazo nempe Jakutum Attaazi, Adeno Otsmanum Azzendjebili, Dsuhablae Mudhaffiroddinum Kaimanum **). His instructis Almuadhdhamus, quippe cui Jemana non placeret, fratrem Selahoddinum, qui tunc temporis obsidione Halebi occupatus erat, in Aegyptum

---

primum ad Nubiam expugnandam miserat; sed cum haec terra iis non arrideret, Tsauranschah in Aegyptum redux factus hinc a fratre ad Jemanam occupandam mittitur. Herbelotius falso hoc a. 550 factum refert, id quod Reiskius iam annotavit, conf. quoque Deguignesii „Geschichte der Hunnen und Türken, deutsch von Dähnert“ t. IV. p. 406.

*) Hunc Adeni praefectum Abulf. A. M. t. IV. p. 8. سريا aut ياسر nominat, et Abulfedam, ut vidctur, secutus De Guignesius l. l. t. IV. p. 506 eum „Yasir“ nuncupat. Prima nominis litera in codice punctis diacriticis destituta vario modo efferri potest.

**) Nomina sunt ex parte punctis destituta. Nonnullos horum praefectorum memorat Deguignesius l. l., nempe Adeni praefectum „Othman Azzedin“, Zebidi „Seifeddauleh Mobarek Moncadi filium“. Idem addit, Tsauranschahum, in Aegyptum profectum, fratri Hatthano dignitatem regiam tradidisse. Videtur hic idem esse, quem noster infra Chathabum (non Chathabam) appellat.

profecturus convenit eumque, ut ipsum Damasco praeficeret, rogavit; tum Alexandriam inde perrexit, ubi obiit m. Safaro a. 576.

Tempore, quo Saif Aldaula Almobarac ben Camîl etc. vicarii in urbe Zebid locum tenebat, vir Sophus, nomine Mubarac b. Chalf, propter ingenii morumque praestantiam ab hominibus magnopere amatus, Zebidum pervenit. Qui quum hanc ob causam maximam apud homines auctoritatem nactus esset, Abulmaimunus Almubarac, timens, ne eodem modo, atque antea Ben Mehedi, de improviso urbem caperet, atque imperium sibi vindicaret, interficiendum eum curavit; mox vero mala huius facinoris conscientia perturbatus somnoque continuo privatus, quid faciendum esset ad quietem recuperandam iurisconsultos nonnullos interrogavit. Illi orationem sacram denuo in templo antiquo, ab Abyssinis exstructo, tum vastato, instituendam esse responderunt. Quod consilium exsecutus ille quiete rursus fruebatur. Illud vero, quod indicatur templum, fuit Zebidi, vel hodie obvium prope portam Nachl ab Husaino ben-Selamah exstructum, mox a Mehedio b. Ali b. Mehedi vastatum, quindecim annis post restauratum per huncce Mubaracum b. Kamil, cuius nomen lapidi, nunc quidem calce obliterato, insculptum est. Pars anterior, quae columnas comprehendit, a b. Munkid, alae et pars posterior totiusque templi altera instauratio a Seifolislamo Thagtakino b. Ajub originem habent (a. 582). Ad opera a ben - Munkid exstructa pertinet praeterea templum Almenah Zebidi, et pars anterior templi magni, quod nostro adhuc tempore superest. Hoc, quum ruinam minaretur, destruendum et denuo aedificandum curavit dominus noster

Selahoddinus Abu Nasr a. 897. Exstruxit id tanta mole, quanta nunquam antea est visum, per Alium b. Ahsan architectum *).

Mortuo Almuadhdhamo Tsauranschaho Alexandriae, ut ante relatum, singulus quisque vicariorum eius in Jemana regnum sibi vindicavit et monetas suo nomine cudit, ita quidem, ut alter alterius monetam non agnosceret. Saif Eddauleh b. Munkid morbo affectus ad Selahoddinum, dominum suum, se contulit et fratrem Chaththabum sibi successorem Zebidi constituit et hic suo nomine monetas cudendas curavit, eoque summum imperium sibi arrogavit. Mudhaffiroddini potestas infracta erat; Otsmanus Azzenjebili Adeni fundos tabernarum domuumque coemtos templo Alharam donavit.

Selahoddinus, de hoc Iemanae statu infelice certior factus, misit Chaththabam**) Adenum ad Azzendjebilium; ambo dein contra Chathabum profecti sunt atque in ipsa via cum Jakuto Altaazi et Mudhaffiroddino occurrentibus foedere facto, omnes Zebidum contenderunt. Quo nuntio accepto Chaththabus, urbe relicta, ad arcem Kawarir se contulit, iamque Chathaba

*) Profusius et copiosius historia et pulchritudo huius templi, ratio, qua refectum sit, narratur, ita ut integra pene pagina hac descriptione impleta sit. Nobis satius videtur, eam omittere; obvia est p. 17 med. — 18.

**) Bene distinguendum est inter Chaththabum et Chathabam خطاب et خطابا. Sed non omnino constat, quomodo unum scribendum, in codice enim modo جطاب, modo حطابا, modo cum puncto diacritico supra inscripto litterae خ reperitur.

urbe potitus est anno 574. Chaththabus vero in regionem inter Ahwabum et Howaibum sitam, sive eam regionem, quae a montibus Zebidi usque ad mare se protendit, excursionem fecit. Interim Chathaba, morbo letifero afflictus, Chaththabo urbem clam reddidit. Hoc comperto, Ostmanus Zebidum obsedit a. 576, sed frustra; nam Chaththabus eam usque ad a. 579 obtinuit. Chathaba dein mortuus est. De his omnibus certior factus Selahoddinus fratrem Abulfawarisum Seifolislamum Thagtakinum b. Ajub misit, qui primum Meccam profectus est a. 577 m. Ramadhano, ibique amicitia contracta cum Scherifo Falita b. Muthaim Alhaschemi, in Jemanam contendit. Ingredienti Zebidum circa finem a. 579 obviam ivit Chaththabus. Seifolislamus eum eiusque exercitum magno honore multisque donis affecit, et paulo post, cum Chaththabus veniam in Syriam proficiscendi peteret, eam concessit. Sed mox quum ille opes suas in locum extra urbem iacentem eduxisset, captus et paucis noctibus interiectis, Taazi strangulatus est. Jakutus, quo arcem Taazi lubenti animo traderet, libere dimissus est; Mudhaffiroddinus, qui Habalam eiusque ditiones expugnaverat, captus est, dum Otsmanus Azzendjebili omnia sua navibus imponens in Indiam fuga salutem petebat. Seifolislamus vero in tota Jemana ab hoc inde tempore regnavit et ipsam Sanaam quinto imperii sui anno occupavit *). Is multas in hac terra arces partim exstruxit, partim instauravit,

*) Idem fere narrat Deguignesius l. l. p. 506, nisi quod hunc regem Malek el Moez Seifolislam Dhahireddin Toghteghin, filium Ajubi nominat.

Taakkur, Hab, Hudad, Taaz multasque alias. Duos procreavit filios, Maazum b. Ismail et Nasirum Ajubum. Mores eius integri erant, Zebidum Sanaamque novis circumdedit muris. Cum mortem praesentiret, misit Aburebam *) in regiones, tum decessit in oppido Almansurah, quod inter Djennadum et Adenum situm est, a. 593, post regnum quatuor decim annorum. Ad ea, quae exstruxerat aedificia, pertinent quoque partes posteriores templi magni ut eius alae et turris in urbe Zebidi, quemadmodum fundatio oppidi, quod nominavit Almensurah, ut alii volunt, fundatio Djennadi, mense Dsu-l'Kadeh a. 592. Canones regni ab eo restituti, tributa regionibus imposita, eaque praecipue iis, qui palmas possidebant, in quibus perseverum se praebuit, dum erga agricolas benigniter agebat. Reditus ex palmis sub regno Abyssinorum et Meheditarum septuaginta millium Dirhemorum erant numero, quod tributum incolae non nisi dactylis persolverunt. Hac causa adducti plures eorum fugam ceperunt, quorum omnes dactylos thesauro publico adiudicavit. Consilium Saifolislami erat, totam Jemanam principi propriam efficere, ita ut, qui terrae particulam colere vellet, hanc ex more Aegypti pretio statuto ab ipso conduceret et iam ii, qui omnes agros taxarent, a principe constituti erant; sed mors superveniens id consilium vanum reddidit. Incolas autem mortem celarunt, donec ipsum in arcem Taaz transportaverant. Post mortem eius

*) Nomen huius viri in codice omnibus punctis diacriticis destitutum est, ut nullo modo, quomodo efferendum sit, definiri possit.

filius Moizzus (sc. Moizz-Addin) *) arcessebatur, qui quum patri succenseret ad patruos in Aegyptum profecturus abierat. Imperio potitus multos servorum patris occidit, deinde Sanaam pervectus Aburebam captum trucidavit, a. 594 m. Muharramo. Zebidi, quo Sanaa pervenerat, gymnasium exstruxit, quod auctoris ætate Almeilin nomen habuit. Jam antea Taazi gymnasium exstruxerat, quod in honorem patris nomen Alseifijjah accepit. Vir praestantis ingenii et poeta tot pulcra composuit carmina, ut volumen impleant, sed superbia elatus Chalifatum sibi vindicare studuit, præ se ferens, e stirpe Omajjadarum se esse oriundum. Cuius rei nuntius quum ad eius patruos in Aegyptum pervenisset, hi litteris eum graviter reprehenderunt. Nihilominus vero in re perseverabat et patris servis, quos sibi hac in re adversarios habebat, timorem incussit. Ex his igitur Sonker Alatabec cum magna turba aufugit, maior tamen pars Curdorum, qui cum eo urbe exierant, anno 598 ad portam manserunt et urbem rapinis impleverunt **).

Cum Sonker Alatabek nuntium de morte eius accepisset, ex arcibus quo confugerat, in Tehamam reversus a Curdis exceptus et primus

*) Hunc de Guignesius nuncupat: Malek el Moez Schamselmuluk Ismail, filium Toghteghini l. l. p, 506,

**) Ipse princeps natione Curdus secum in Jemanam magnam ut videtur servorum e Curdorum gente copiam adduxerat, quos satellitum loco, quippe eorum virtuti fideique maxime confideret, habebat. Caeterum locus hic corruptus, pluribus praeterea punctis diacriticis deficientibus, ita restituendus videtur وبقى اكثر من معه (من) الاكراد على باب مدينة.

minister novi regis Nasiri b. Saifolislam, qui tunc temporis admodum infans erat, constitutus est. Sunt qui Curdos se ei opposuisse, illum vero in urbe Zeribah victoriam reportasse Curdosque in fugam coniecisse narrant; Zebidum deinde, quo illi aufugerant, ab eo direptam, iurisconsultos sectam Schafeiticam sequentes ab academia Moezzi depulsos, academiam hanc Hanefitis concessam esse. Annus sexcentesimus propter cinerem album nigrumque de coelo per unum diem et noctem delapsum, quem terrae motus sequebantur, «annus cineris» est nominatus. Res similis evenit anno 347, qui idem nomen accepit.

Atabikus dignitatem (regiam) conservavit usque ad mortem, quam in arce Taaz m. Djumada altero a. 607 obiit. Ab eo in compluribus oppidis gymnasia exstructa sunt, quae auctor singula recenset. Rex Annasir in Atabiki defuncti locum constituit Ghazium b. Djabriel. Ambo dein cum multis opibus magnoque exercitu expeditionem contra Sanaam susceperunt, sed cum ad ipsam urbem pervenissent, rex a Ghazio veneno interfectus est a. 611. m. Muharramo *). Iam ille Ghazius regno praefuit, sed mox a servis Nasiri, quos mater Nasiri impulerat, in urbe Ab occisus est, et corpus eius foede truncatum. Haec regis mater deinde, ab arce Habi Taazum profecta per sex menses imperium administravit. Tum vero Sulaimanus Takjoddinus Omarus b. Scha-

*) Notandum est, in versibus, calci libelli adiectis, loco Nasiri b. Saifolislam regem Ajubum b. Thagtakinum, fratrem Moizzi, esse positum, qui a. 622 obierit. Perperam de hac historia exposuit Deguignes, l. l. p. 506, 507 et 568.

henschah b. Ajub, cognominatus Almuadhdham, notus nomine Sophus, cum caterva viatorum pauperum Meccam venit, unde advocatus, rex constitutus est. Sed mox luxuriae aliisque vitiis sese dedit. Cum hic nuntius ad ceteros reges Ajubitarum pervenisset, Almalik Alahdelus nepotem suum Almesudum Selahoddinum Jusufum ben Almelik Alkamil b. Almelik Aladil cum magno exercitu magnisque opibus misit; secundo die mensis Muharrami a. 612. Zebidum pervenit, et arce Taazi potitus Sulaimanum Sophum cepit, m. Safaro ej. a., postea vero in Aegyptum rediit, atque Djemaloddinum Falimum (hoc nomen punctis diacriticis caret) rebus in Jemana gerendis praeposuit. Sed hic, quum Scheichi probi cuiusdam sectatorem duriter tractasset, subito implicitus morbo, qui illius Scheichi voluntati tribuitur, obiit. Mesudus*) vero quo ex Aegypto redierat, reversus, usque ad a. 625 in Jemana versatus est, tum Meccae Almensuro b. - Rasul, qui pulchra agendi ratione multorum animos sibi conciliaverat, Jemanae provincia tradita, ab ipsius

---

*) Textus fert المنصور. Inopinantibus hic Almensur se bis offert, ut qui nusquam ante commemoratus sit, nihilominus auctor hoc loco mentionem eius iniicit, quasi omnibus sit notus. Initio capitis VII invenimus verba : ولما مات الملك المسعود فى التاريخ المقدم ذكره at nusquam ante relatum est de morte Mesudi. Quid igitur? Non hercule nimium mihi sumsisse videor, quod in textum Mesud مسعود, loco Mensur منصور recepi, cum hoc modo omnes difficultates removeantur, atque nomina مسعود et, منصور facillime a scriba commutari potuerint.

filio veneno interfectus est. Gymnasium Almeilin in urbe Zebid ab eo renovatum est *).

---

*) Regis Mesudi Abulfeda in A. M. t. IV. p. 351, 354 mentionem fecit, eiusque mortem anno 626 collocavit, paululum nostro dissimilis. Praeterea ex Abulfeda apparet, qui factum sit, ut hoc mortuo, regnum subito ad aliam gentem transierit. Etenim mirum videri debet neque patrem Mesudi, Camelum, qui superstes adhuc erat, neque filium Josephum neque nepotem Musam imperium accepisse. (Horum Abulfeda mentionem fecit l. l.) Res ita se habet: Mesudius non Jemanam solum, sed Meccam quoque suae ditionis fecerat; morbo correptus a Jemana Meccam proficiscens Alium b. Rasul, patrem Mensuri Nuroddini, qui Nuroddinus imperii nunc insequentis auctor fuit, Jemanae pro rege constituit, et Nuroddinus postea sibi posterisque suis imperium affectavit. Alius b. Rasul (quem noster non memorat) postmodum Aegypto praepositus est ab ipsius fratribus, idque ea de causa, ne nimium sibi arrogaret imperium. Obiit paulo ante a. 630. Mire Mensurus hicce a Deguignesio nepos Asuli, non Rasuli, dicitur, quod typographi erratum videtur. Deguign. l. l. p. 507. Sed video, p. 568 esse Rasul scriptum. Rasulus ille, pater Alii b. Rasul, avus Almensuri Nuroddini Omari, utebatur nomine Muhammed, filiusque erat Haruni nepos Abulfathi filii Nouhae filii Rasami (noster omittit Nouham et habet Rustem loco Resem). Cognomen Rasul accepit, quod sub auspiciis Chalifae alicuius, nescio quo, nuntius (رسول) erat missus. — Quod Abulfeda de Alio b. Rasul refert (ut nuperrime laudavimus), eum a Mesudo in Aegyptum proficiscente pro rege Jemanae esse constitutum, id Guignesius Nuroddino tribuit; hunc scilicet Tehamae, fratrem eius Bedroddinum Sanaae praepositum esse, sed Mesudum postea reversum utrumque in vincula coniectum in Aegyptum misisse. Tum vero Nuroddinum libertatem simul cum praefectura recepisse atque a Mesudo, se-

CAPUT SEPTIMUM.

Imperium Rasulidarum.

Mortuo rege Almesudo e stirpe Ajubitarum, ut ante narratum est, regnum transiit ad Mensurum Nuroddinum Omarum b. Ali b. Rasul b. Muhammed b. Harun b. Abilfatah b. Rustem Gassanidam, Sahakijjum, Turcomannum, quo regnante multa memoratu digna evenere. Imperium eius complectebatur regionem inde ab Hadhramauto usque ad Meccam.

Mensurus a. 630 omnia regis insignia sibi arrogavit, qua re iratus Almalic Alahdelus Aegypti rex cohortes suos Meccam misit. Huius rei Mensurus certior factus cum magno exercitu a. 635 Meccam contendit, Qui quum usque ad Alrijadah processisset, Aegyptii ubi primum de Mensuri adventu nuntium acceperant, urbem reliquerunt. Mensurus, mense Redjeb urbe potitus magnam argenti copiam distribuit et erga plures ex ducibus Aegyptiorum, qui in clientelam et fidem eius se receperant, summa benevolentia usus est. Ab illo tempore fortuna secunda adiutus neminem inde adversarium habuit et per viginti et unum annos optime imperium ad-

---

cunda vice in Aegyptum contendente, denuo Jemanae pro rege relictum hac conditione ut, cum ipse Mesudus mortuus sit, provincia illi propria sit futura. Jam cum Mesudus in Aegypto mortuus esset, Nuroddinum imperium iuste acceptum usque ad annum mortis, 647, continuasse. De Guign. l. l. 568. Adde A. M. IV, 394. 516.

ministravit, anno autem 647 a servis, quibus fidem habuerat, in arce Aldjennadi insidiose occisus est *).

Mensurus initio sectam Hanefiticam amplexus erat, sed postea se convertit ad Schaféiticam idque, ut prae se tulit, a propheta ipso in somnio monitus. — In pluribus oppidis Academias instruxit, ut inter cæteros ex hac gente oriundos principes maxime is hac re excelluisse dicatur. Exstruxit quoque inter urbes Hais et Zebid templum et omnibus iis, qui in vicinia domicilia sibi aedificaverant, perbenignum se præbuit. Hinc factum est, ut mox multi hunc locum habitarent et illico vicum aedificarent, qui a nomine regis (نــور الدين) Nuri appellabatur. Inter Meccam et Medinam multas condidit arces, quarum ruinae hodieque exstant. Pagum Birk, in monte ad mare inter Meccam et Jemanam sitem idem habitandum et colendum curavit, omninoque virtutibus multis praeclarisque excelluit.

Servitia, quæ Mensurum occiderant, Abubecro filio Hasani, fratris Mensuri, se submiserunt, quare hicce Zebidum obsidione in suam

*) Abulfeda paulo aliter „Post Aliam b. Rasul filius eius Omarus b. Ali, quem iam conmemoravimus, idem munus regis vicarii Jemanensis, quo pater functus erat, accepit; sed mittebantur ab Aegypto patrui eius, qui, Omaro remoto, semet ipsos pro rege constituerent. Hos in Jemanam pervectos Omarus cepit, in vincula coniecit, tum absolutum regnum sibimet soli vindicat et cognomen Almelik Almensur assumit, multa quoque Turcarum servitia sibi assumsit, quae eum hoc ipso anno (647) occiderunt.“ vid. Abulfed. IV. p. 526.

potestatem redigere studuit. Sed Mensuri filius, Almelik Almudhaffar *), hoc nuntio accepto, ex loco Serdad سردد quem in feudum a patre acceperat, accessit, atque, servitiorum studiis clam in eum inclinantibus, rem eo perduxit, ut Abubekrum et eos, qui patrem occiderant, in potestatem suam redigeret, dein Zebidum intraret, initio mensis Dsulhidjdjah a. 647. Annis proxime sequentibus reliquas urbes arcesque ut Hab, Tahcar, Dimluwwah et oppidum Sahdah sibi subiecit, quo facto ad peregrinationem Meccanam instituendam se accinxit, et cum rebus sibi necessariis naves expedivisset Mense Schawwal terra cum copiis suis iter suscepit et omnes in urbe Mecca leges sacras rite executus est a. 659. Multa ædificia et gymnasia, ab eo exstructa dato opere singulatim recensentur.

Post regnum quadraginta sex annorum successorem sibi in imperio filium Alaschrafum Mumhidoddinum Omarum b. Jusuf constituit **), eumque mandato honorifico populo

---

*) Integrum eius nomen fuit Jusufus b. Omar, cognomine Almelik Almudhaffar, Ab. IV, 596, vel, ut t. V. p. 126 nominatur الملك المظفر شمس الدين يوسف من الملك المنصور عمر بن على بن رسول. Cum hoc facit Deguign. l. l. 507 et 568. Loco, quem priorem posuimus, narratur, imperium eius tranquillum et per longum tempus protensum fuisse, loco altero additur, eum post regnum 47 annorum a. 694 Taa..i mortuum esse. (Abubekri nulla neqne hic mentio, neque in Deguignesii opere). Noster ei 46 annos assignat, cum quo Deguignesius facit.

**) Perperam si quid iudico, Deguignesius hunc regem: Malek elaschraf Nodgmeddin Omar nominat, male quoque unum tantum annum ei assignat. l. l. 568.

commendavit subditos monens, ut bene illi obedirent, tum regnum eius mite faustumque fore. Factum hoc est a. 694 et paulo post mense Ramadhano eiusdem anni Almudhaffarus obiit. Cum Almelik Almuajjad, filius eius, de patris morte certior factus esset, Adenum Abinumque suæ ditionis fecit, easque per annum 695 obtinuit *). Annus 695 ingenti grandinis mole de cœlo delapsa insignis fuit. Sub regno Alaschrafi terra locustis quoque vexata est, et cum incolae ob hanc frumenti depopulationem valde conquererentur, rex eorum inopiam sublevavit beneficiis collatis, præcipue beneficum se præbuit incolis pagi Nachl, qui antea a principibus valde oppressi magnaque iniustitia affecti erant. Eandem benevolentiam erga incolas Nachlenses Muajjadus eiusque filius et nepos ostenderunt.

Alaschrafus mortuus est a. 696 m. Muharramo d. XXIII. Optimates iam imperium ad Muajjadum transtulere; is vezirum constituit Alkadi Muwaffikoddinum Alium b. Muhammed Aljahjewi, notum nomine Ibn Sehab. Deinde ad ori-

*) Loco ولد legendum est والد; etenim Muajjad fuit filius Modhaffari, frater Aschrafi. Quae noster obiter tantum narrat, Abulfeda fusius exposuit. Scilicet Malek Almuajjad Scherifoddinus Daüd, quod integrum eius nomen fuit, a patre provinciae Schahr praepositus, patre mortuo, Adenum sibi subiecit, sed exercitus Aschrafi illuc missus asseclas eius in fugam convertit, ipsum in captivitatem redegit. Aschrafus dein, quoad vixit, in vinculis eum retinuit; illo vero defuncto magnates imperii Muajjadum vinculis liberatum fratris successorem constituerunt, isque Abulfedae etiam tempore regno fungebatur. A. M. V. p. 126. Memoratur hic rex etiam ibid. p. 250. Noster indi-

entem profectus arces Hadjah *) sibi subiecit, mox reversus principes Djazani, rebelles secum reconciliavit a. 701. Eodem anno exspiravit Scherifus ben Nemi (?) praefectus Meccae. Rex a. 702 gymnasium sui nominis Almuajjad in urbe Taaz ædificandum curavit, a. 703 filius eius Adhdhafir mortuus est, a. 708 arx Ma'kali in urbe Tsa'bat exstructa est, quam auctor nova ratione ædificatam esse refert. Alia praeterea ædificia ab Almuajjado petunt originem. Rex hic tanta liberalitate usus est, ut cuidam ex intimis totum thesaurum urbis Aden dono daret et tanta fortitudine fuisse celebratur, ut aliquando pugna cum leone conserta hunc occideret. Regnum retinuit per viginti quinque annos et aliquos menses atque prima nocte mensis Dsul - Hidjdjah a. 721 obiit Daroschschadjarati, e regione Taazi**). Litteris multum operis navavit.

---

care quoque videtur, eum a fratre in capitivitate retentum fuisse, etenim, Aschrafo mortuo, pergit: فلما مات اجمع كبراء الدولة بعد وفاته على احراج (l. اخراج) المويد وتقليده الملك „Hoc mortuo convenere magnates imperii in eo, ut educerent Muajjadum eique regnum offerrent.“ Etenim vox اخراج nullum alium praebet sensum, nisi ex vinculis protrahere. cod. p. 22, 13.— Male Deguignes Muajjado cognomen Haziroddin indit. l. l. 568.

*) حصون حجه in geographis non invenio.

**) Abulfeda etiam refert, eum a. 621 mortuum esse, sed in ipsa urbe Taaz, A. M. t. V. p. 348. In hoc loco Muajjado cognomen Hezaberoddin inditur. Deguignes autumat, eum veneno esse interfectum. l. l. p. 568.

Almudjahidus *) unicus, quem reliquerat, filius, imperium accepit, regali prudentia et fortitudine prae aliis excellens. Erat tunc temporis in arce Taaz, quam post duorum mensium spatium reliquit et in loco, Daroschsadjarat appellato, sedem fixit. Fuit tunc temporis Schadja oddinus b. Mensur dux copiarum (اتابک الاجناد) urbis, quem Almudjahidus stimulis additis eo perduxit, ut filium patrui ipsius Annasirum caperet, Adenumque mitteret. Interim Mensurus b. Ajub, frater regis Muajjadi, cum satellitibus ex principibus foedus inierat, quo adducti hi Almalic Almudjahidum in arcem Taazi incluserunt a. 722. Hinc factum est, ut Nasirus libere ex Adeno, ubi tres menses degerat, dimitteretur. Interim satellites Almalic Almudjahidi et incolae arcis in eo convenerant, ut clam noctu Almalic Almensurum obruerent eumque in vincula coniicerent. Qua re feliciter peracta, Almalic Almudjahid prodiit et rerum iterum potitus est. Adhdhahirus autem, filius Mensuri, Dimluwwae degebat, quam urbem tradere a patre iussus denegavit. Hic, ut ipsi obedirent, quum homines invitasset, et multi eius rebus faverent, magnam potentiam nactus est. Jam vero Mensurus mortuus est mense Zafaro a. 723 **).

---

*) Integrum eius nomen fuit: Alius Almelik Almudjahid Seifolislam ben Daüd, teste Abulf. V, 348 et Deguignesio p. 568.

**) Abulfeda, cetera iisdem fere verbis enarrans, in hoc a nostro discedit, quod de morte Mensuri non refert, sed potius, militum seditione coorta, Mensurum post trium mensium imperium in vincula coniectum, Almudjahidum vero e carcere protractum et solio impositum esse ait. A. M. V, 348. 350.

Mense Rabia priori a. 723 Omarus b. Balbâl b. Addewidâr, satelles Adhdhahiri, Adeno profectus est, et, societate inita cum satellitibus ex urbe Zebid, regem Almudjahidum per aliquod tempus in arce Taazi obsedit. Tum vero omnes servi in Tehamam se contulerunt, m. Schawwalo, sed ab Azzaimo, duce exercitus Almudjahidi, qui ex nobilibus urbis Sadae aliisque compositus erat, in urbe Hahaf (dubia est vox) Seham medio m. Dsulhidjdjah victi fugatique sunt. Pars satellitum Mehthahi fuit cum Ibnaldewidâro; is mense Dsulhidjdjah anni 724 Ahladjum contendit, atque cum exercitu collecto, ad Adenum expugnandam profectus est, quam gravi obsidione cinxit mense Zafari anno 725; mox ab incolis per pacis speciem deceptus cum parte sociorum urbem ingressus est. Ibi quum vespere simul cum sociis vino nimis indulsisset, a principe urbis irruptionem faciente occisus est. Sunt qui dicant, eum primum in vincula coniectum, demum septimo mensis Rabiae prioris necatum esse *).

Hoc facto frater sociique eius ab urbe Mehtha aufugerunt. Iam Nasirus, filius Alaschrafi, imperium Zebidi sibi arrogavit et paucos dies obtinuit, mox autem ab Almudjahido, Zebidum

*) Paulo aliter Cronic. Jemanense bibl. Leid. teste Hamakero. Almalecus Adhdhaherus a. 724. Almndjahido imperium eripuit, idque conservavit usque ad a. 734, quo Almudjahidus regnum recuperavit; Almalecus Adhdhaherus a. 734 obiit. spec. Catal. p. 186. nota. Cum hoc facit Abulf. t. V, 356, qui narrat, Mudjahidum a Dhahero regno pulsum nil praeter Taazum retinuisse. Hicce Dhaher ibi dominus الدملوة nominatur; الدملوة vero procul dubio idem est, quod الدملوة in nostro codice.

ingresso, captus et Taazum demissus est, ubi paulo post diem obiit supremum.

Addhahirus per aliquod temporis spatium Dimluwwae mansit, tum Adenum intravit, quem locum, ab ipso mox relictum, Almudjahidus cepit. Ille autem usque ad annum 734 locum tenebat, quo ab Almudjahido vitae securitatem et clientelam petiit et impetravit, sed in carcere retentus hoc ipso anno, mense Rabia priori, diem supremum obiit. Ab hoc inde tempore Almudjahidus solus totum regnum imperturbatum servavit.

Anno 735 ingens rursus grandinis moles de coelo labitur inferiore parte fluminis Mur. Anno insequenti Mudjahidus arces Surduditicas expugnavit, subditorum vectigalia diminuit, porro arces Dsemar et Haran vi subegit. His factis a. 739 portas et vias stratas fossasque circa moenia Zebidi per principem fortem Omarum b. Otsman b. Muhja faciendas curavit, et a. 740 gymnasium in sacrosancto tractu Meccano aedificari magnisque legatis ornari iussit. Tum anno 742 peregrinationem sacram suscepit.

Interim filius Mudjahidi, Almuajjadus, contra patrem seditionem excitavit tractuque Mehdjemitico potitus est a. 744. Pater exercitum contra eum instruxit, comitibus Alkadi Muaffikod, dino Ibn Assahib et Emiro Seifoddino Alchorasani. Hi duo navata opera tandem Muajjadum ad pacem ineundam commoverunt, deinde ad patrem eum adduxerunt mense Almoharramo a. 745. Sed pater eum caesum in vincula coniecit, ita ut paulo post exspiraret.

Anno 751 Mudjahidus, secunda vice Meccam peregrinans, inde in Aegyptum profectus et post aliquantum temporis spatium reversus est.

A. 760 urbs Zebid et regiones circumsitae vehementi pluvia vastatae sunt, cuius vis tam fuit vehemens, ut domus in hominum capita corruerent *). Omnes putei aqua completi, centum fere homines, aedificiis collapsis obruti, vitam perdiderunt. Vicesimo secundo die mensis Rabiae posterioris anno 762 Djihet Selah, mater Mudjahidi, mortua est; eodem a. mense Rabia priori die vicesimo quarto Muhammedes b. Michael urbem Mehdjemum tertiamque partem regionis circumiacentis expugnavit, eodem porro Almudhaffarus contra patrem Mudjahidum rebellavit et Adenum profectus est; sed eum pater insecutus inde recedere coëgit et Adeni dein aliquantulum commoratus est, donec morbo correptus exspiraret anno 764 d. XXV. m. Djumadae prioris. Mortuum in arcem Taaz portarunt, et in gymnasio, quod exstruxerat, sepeliverunt. Excelluit hic rex eximiis animi dotibus, generositate, fortitudine, magna in litteris gloria, ita ut doctissimus omnium regum e gente Rasulidarum diceretur. Is etiam, ut antecessores eius, complura templa exstruxit, praecipue vero multa a matre eius originem traxerunt. Ipse conditor urbis Tsabati appellari potest; anno enim 734 eius moenia aedificavit, et magnifica urbis produxit, pulcros hortos coluit, aedificia atque arces condidit, a. 734. Soror eius, Djihet Fatin, quae cognomen honorificum Maossema (aqua coeli) ac-

---

*) Ratio, qua auctor hanc pluviam describit, dicens: كانت المطرة المشهورة "fuit pluvia illa notissima„ docet nos, ipsius tempore hanc rem in omnium adhuc ore fuisse, neque est, quod hoc miremur, quippe auctor seculo proxime insequenti natus est.

cepit, filia regis Muajjadi, Zebidi complura templa exstruxit, multa in usus pios legavit, multaque bona opera perfecit; mortua est a. 768. Memoranda adhuc est ingens exundatio fluvii Zebidi, qua multi homines multaque pecora perierunt, a. 743. Prodigium quoque sub regno Mudjahidi evenit, nimirum puer, facie haedi, duobus cornibus et quatuor oculis, binis ab anteriore, binis a posteriore parte instructus, cuius aures in extremis scapulis positae, naso curvo praeditus, cui dentes hominis et crines multum asperi erant, caeterum quatuor pedes, quorum singuli quatuor digitos habebant, dati, e puella quadam Ganna appellata, septimo post conceptionem mense natus est a. 744.

Mortuum Almudjahidum unanimo optimatium consensu secutus est filius Alafdhalus *), doctrina, prudentia et humanitate insignis. — Emirus Muhammedes ben Mikail, vivo adhuc patre, urbibus Harradho, Muro et Sardado potitus erat, et in suggestibus tractuum Syriacorum preces publicae fiebant pro eius salute; is biennium in dignitate permansit, tum contra eum exercitum mittitur, cuius primum agmen Alamirus Fachrod-

*) Quamquam Deguignesius inter Almudjahidum et Alafdhalum alium quendam regem interposuerit, quem Malekum Almensurum Omarum appellat, nec tamen dubito, quin is e serie regum eiiciendus sit. Neque Abulfeda neque noster eum memorat, isque Almensurus filius Nuroddini Omari fuisse dicitur, quod omnino fieri nequit; hoc unum iam falsam hanc narrationem esse ostendit. Deguignesius ei imperium trium annorum, usque ad a. 767 tribuit. Regi Alafdhalo ille nomen: Malek Alafdhal al abbas fil. Mudjahedi indit; in mortis anno cum nostro consentit. I. l. p. 568.

dinus Zijadus ben-Ahmed ducebat, a. 765. Is asseclas b. Mikaili occidit, ipse vero Saadam confugit.

Alafdhalus omnibus iam reliquis Jemanae partibus potitus, complura templa aedificavit. A. 766 frater eius Almudhaffarus, adiutus a duce Zeidianorum*) se ei opposuit et Harradhum intravit, sed res ad pugnam non pervenit; arx Kahira

---

*) Saepissime in historia continuo insequenti vox الزيديون vel الزيدية, interdum omnibus punctis diacriticis omissis, invenitur. Omnibus his locis procul dubio زيدية et زيديون legendum est. Ita enim nominatur secta Arabum, quam Herbelotus commemorat s. v. Zeidiah. Pocockius in speciminis indice nomen profert (sed neque in eo loco, quo lectorem relegat neque alio speciminis loco quidquam de hac secta relatum reperi). Sed occurrit in Abulfedae quoque A. M. t. III, p. 346. haec secta, et Reiskius annotavit, sua quidem opinione Zeidicos, quos appellat, eosdem esse ac Ricautii sectam Zeilicam, cuius verba de illis hunc in modum citantur: "Les Zeilis disent que Dieu envoyera au monde un prophete choisi d'entre les Persans avec une nouvelle loi, qui abrogera celle de Mahomet." Ex verbis Ibn Kotaibae, a Reiskio laudatis, apparet, sectam nomen accepisse a Zeido b. Ali Mektae, de quo Abulfeda narrat ibid. p. 454. Sed Ibn Kotaibae verba adiiciam: الزيدية هم المنسوبون الى زيد بن على المقتول وهم اقل الرافضة غلوا غير انهم يرون الخروج مع كل من خرج Reisk. ita vertit: "Zaiditae nomen trahunt de Zaido fil. Alii, Mactulo, seu occiso; inter omnes Rafeditas minimum extravagantur, minimum absurdi sunt; fere aliud nihil peccant, quam quod Imamum et magistratum legitimum nolunt agnoscere, qua in re ipsis ceterisque Charegitis omnibus convenit." Et veram hanc Zeidianorum descriptionem esse, maxime e codice nostro apparet. Etenim ubicunque Zeidiani commemorantur, de seditione contra Imamum eiusque subditos narratur, et

a. 770 a Mudhaffaro expugnata est. Anno 771 Ibn Mikail et Ibrahimus Assajjid b. Jahja Alhedewi praefectos tractuum Syriacorum proelio adorti sunt eosque fregerunt, et Alkadi Djemaleddinus Muhammed b. Omar b. Aschscherif occisus, Fahroddinus Zijad captus est. Alemir Ali b. Ajas cum sociis Zebidum reversus ibique interfectus est ab Alahwaritis*), qui opibus eius et urbe Zebido potiti sunt. Interea proceres (الاشراف) venerunt, qui venia intrandi negata ab illis subito erumpentibus ab urbe repulsi sunt. Tum vero in tractus Syriacos se converterunt et via per regiones montanas ducente Emirum Fachroddinum Zijadum miserunt**). Hic venit ad ducem Ahmedem, qui eum libere dimisit, ut incolumis rediret. Paulo post advenit Thewaschi Ahnaf***) Zebidum, et

---

quamquam saepissime vincuntur, tamen rebellis remanet animus. vid. Abulfedae A. M. t. II, 734, 735 in notis Reiskii et Niebuhrii description. Arábiae p. 18. 3.

*) In textu legitur فقتله العواريين. Vocem العواريين quomodo explicem non habeo. Fortasse gens hoc nomine insignita fuit, sed procul dubio tum العواريون legendum foret. Nusquam vero gentem huius nominis memoratam inveni. Paulo post idem verbum repetitur. Et vox الاشراف quae statim sequitur nomen sectae cuiusdam fuisse videtur.

**) Locus obscurior est, quum in his auctor nimiae brevitati in narrando studuisse videatur et textus multis punctis diacriticis careat: وجاء الاشراف عند ذلك فلم يدخلوهم بل ثاورهم فى الحال حتى نفوهم من المدينة فتوجهوا نحو الجهات الشامية وارسلوا بالامير فخر الدين زياد طريق الجبل واتا القايد احمد فاطلقه سالما.

***) طواشى اهنف his vocibus vir quidam nominatur, qui ante non obvius fuit. اهنف punctis caret et signo spuritatis notatum est.

astutia utens, tertio mensis Redjeb huius anni urbem intravit. Hic auctor fuit caedis in Alahwaritas perpetratae et vias in urbe lateribus coctilibus, quae ante lateribus sole siccatis solummodo tectae erant, stravit. Proceres, qui hoc ipso tempore ab Alafdhalo impugnati aufugerant, biennio post cum ben Mikailo redierunt, sed a Fachroddino Zijado, contra ipsos profecto, Surdudi mense Rabia priori a. 772. profligati sunt. — Anno 774 Scheichi Abubekrus ben Maüdha Assajjiri et anno insequente Fachroddinus Zijadus b. Ahmed dormientes ex improviso capti et trucidati sunt. Anno 777 Selahoddinus Muhammedes b. Ali b. Muhammed Alhedewi, Imamus Zeidianorum, Zebidum profectus, urbem per tres noctes obsedit, tum propter adventum auxiliorum Sultani refugit. (Filius huius Imami, Alius b. Selah, a. 791, regnante Alaschrafo, Zebidum itidem obsidione clausit, unde is annus magnam celebritatem inter incolas Zebidiacos accepit, annusque Imami dictus est.)

Alafdhalus iam Zebidum ingressus est, ibique usque ad vicesimum primum mensis Scha'bani anni 778 commoratus est, quo anno exspiravit in arce Chawarnak. Fuit duorum gymnasiorum conditor, multis virtutibus excellens, litterarum cultor; complures enim libros composuit**).

Populus successorem constituit Alafdhali filium, Alaschrafum Ismailum b. Alab-

**) Afferam eorum titulos: بغية ذوى الهمم فى معرفة انساب العرب والعاجم: نزهة العيون فى معرفة طوايف (الطوايف) والقرون: كتاب العطايا السنية فى معرفة طبقات فقهاء اليمن

bâs. Die lunæ vicesimo quarto mensis Schabani patrem sepelivit. Secundo imperii (hoc الخلافة chalifatum auctor appellat) anno b. Mikail princeps ex principibus Almudjahidi mortuus est, cuius virtutes præcipua laude dignae erant. Pater eius ab Almudjahido locum Harradhum in feudum acceperat, quem et post mortem eius filius obtinuit, mox vero in principem obsequium exuit. Alaschrafus permulta templa, gymnasia et alia aedificia sub auspiciis suis et exstruenda et instauranda curavit. Ingens columna ignea cœlo fixa, turris formam referens, undecimo m. Scha' bani a. 783 se ostendit et manifesta erat usque ad Ramadhanum a. 784. Eodem anno morbus mortifer in regionibus altioribus Taazo propinquis, Djehaf, Djahdar, Neba, Sahib, Wesab et huic ab Oriente confinibus *) sæviebat, ita ut, dum hominum in domibus mortuorum nemo curam haberet, pecora in campis libere pascerentur. Ceterum Alaschrafus praeclaras et subditis utiles res perfecit et omnibus in rebus, praecipue litterarum amore laudabilem se exhibuit; summo iudici (قاضی القضاة) Djemal Aldino Alrenemi (الرنمی), qui opus suum doctissimum viginti quatuor volumina complectens inscripsit التنبيه في شرح التفقيه (desunt in prima voce puncta diacritica) duodecim millia denariorum in argen-

---

واعيانها Quem primum posui, auctor prae ceteris laudat. Et Chronicon Ibn-Chilcani (تاريخ بن خلكان) pulcro modo in compendium redegit.

*) Locorum nomina maximam partem sine punctis diacriticis scripta sunt.

teis vasibus serico obtectis dono misit. Mensis Rebiae prioris die decimo nono a. 803 obiit *).

Filius eius, Sultanus Almelik Annasir Ahmedes inaugurationem iam acceperat, cum Aschrafus in morbum illum minacem incideret. Assajjirus **) contra arcem Alhamra castra posuerat, cum Alaschrafus morbo afficeretur, adiutus a filio Mehedi, Schacho. Hunc Schachum et socios eius Nasirus decimo sexto huius mensis die cum copiis egressus captivos fecit, ita ut Assajjirus, omnibus impedimentis relictis, castra movere cogeretur. Ab hac expeditione victor Nasirus rediit et mox contra Benu Saif ***) contendit, quorum duces partim trucidavit, partim cepit. Tum eodem iam mense in regiones gentis Asaweriticae †) copias eduxit et cum ha-

*) Memoratur in chronic. Jeman. et in alio quodam codice Leidensi (No. 1876 Hamak. spec. catal. p. 179.) summus iudex regni Jemanensis nomine Zakjoddinus Abu Becr ibn Jahja ibn Abu Becr ibn Ahmed ibn Musa ibn Adjil, qui decesserit Taazi a. 795, postquam per triennium dignitate functus erat. cf. Hamak. l. l. p. 187. Hunc noster omisit.

**) Antea occurrebat Abubekrus b. Maüdhah Assajjiri, sed is hoc loco non est intelligendus, ut qui a. 774 occisus sit. vid. codic. p. 24, l. 10 ff. Alius vero huius nominis nulla fuit mentio.

***) بنو سيف videtur nomen fuisse tribus, mihi ignotae,

†) الاساورة Teste Firuzabadio hoc nomine appellata est gens barbara, quae Basram occupaverat. Haec eius sunt verba: وقد يمدوا الاساورة قوم من العاجمة نزلوا بالبصرة كالاحامرة بالكوفة. Eadem gens memoratur in manuscripto Gothano: كتاب الاغاني لابي الفرج, p. 330, ubi versus nonnulli Omajjae Ibn Ali Salati commemoran-

rum incolae arces suas traderent, Taazum rediit; mox vero propter perfidiam eorum reversus est, oppida et arces vastavit et magnam incolarum partem occidit. Reversus est Zebidum die vicesimo secundo mensis eiusdem. Hinc decimo mensis Radjebi contra Almaazibah *) contendit, quibus patrocinium petentibus pacem concessit. Statim contra Henecah Alrumat (Henecah sagittariorum, videtur nomen loci) quod sub ditione sagittariorum (Alrumat sine dubio nomen cuiusdam gentis), expeditionem suscepit fausteque exsecutus est; omnes enim equos incolis tractus huiusce ereptos Zebidum secum duxit. Usque ad primum diem mensis Schabbani Zebidi versatus contra Almaazabih rursus profectus est, qui camelos quorundam rapuerant, multosque eorum occidit, alios cepit; quam ob rem, qui reliqui erant, consilium huius regionis relinquendae ceperunt, neque umquam postea eorum fit men-

---

tur, in quibus الاساورة occurrunt. Anctor deinde addit: بنو الاحرار الذين عناهم امية فى شعره هم الفرس الذين قدموا مع سيف وهو الى الان يسمون بصنعا بنى الاحرار ويسمون باليمن الابناء ويسمون بالكوفة الاحاربة وبالبصرة الاساورة „Benu Ahrar, quos indicat Omajja in carmine suo, sunt Persae illi, qui cum Seifo (i. e. Seifo Ibn Dsi Jezen, vid. prolegg.) advenere, qui ad hunc diem usque Sanaac Banu Alahrar, in Jemana Alabra, Kufae Alahamirah, Basrae Alasawirah nuncupantur.“ De nomine, quo Kufae audiebant, dissentiunt igitur Firuzabad. et Abulfaradj. —

*) المعازبة cuius gentis sectaeve fuerit nomen frustra quaesivi. Nisi continuo haec puncta essent apposita, مغاربة legendum putarem, quo nomine vocantur satellites Africani, quales regibus tunc temporis esse solebant.

tio. Die secundo mensis Schawwali huius anni Nasirus arcem Almehudum, praevalidam, bellico apparatu optime instructam sui iuris fecit, hinc vicesimo secundo mensis Dsul-Kahdah anni 803 Taazum pervenit. Primo die a. sequentis arcem Reimam ceteraque circumiacentia castella sibi vindicavit per Emirum Badroddinum Zijadum b. Ahmed Alkameli et Aththewaschium Nedhamoddinum Hadharum Alchasendar Alaschrafi. Anno 807 Scherifus Almuntasirus ad eum accessit et centum millia denariorum dono accepit. Tum gentem Almakazirah (القاصرة) appellatam adortus est, multos eorum neci dedit, magnam praedam cepit et hostium terram anno 808 depopulavit. Eodem anno expeditionem ingressus, urbem Datsinam aliasque vi cepit opesque incolis eripuit. Deinde a. 809 Djazanum (oppidum) contendit, quod omnes incolæ dereliquerant. Cum aliquot dies ibi esset commoratus, urbis praefecto, quam petiit, pacem concessit. Hinc ille advenit propius, et bene exceptus est; tum eum in societate Emiri Muhammedis b. Zijad Alkameli Zebidum misit. Inde Nasirus ad urbem Hali se convertit, cuius praefectus cum donis in tractu Birk *) obviam ei venit. Itaque rex urbem non est adortus, sed pacto inito, quo equi quinquaginta ipsi quotannis mitterentur, rediit, et Djazanum contendit, cui optimatium ex sociis suis aliquem praefecit, dein Zebidum profectus est. Ibi ope virorum doctorum et proborum urbis Zebidi praefectus oppidi

---

*) البرك fuit tractus ad mare inter Meccam et Jemanam situs, quem Almensur Nuroddinus colendum curavit. vid. cod. p., 20, l. 30.

Djasan, erat enim dilectus propter eximiam virtutem ab omnibus, in gratiam principis redire studuit. Princeps intercessionem bene admisit, eum veste honorifica ornavit, viginti millibus denariorum et quinquaginta servis donavit, et omnibus in illo oppido rebus praefecit. Anno 811 duo filii Saadoddini, principis Abyssinorum, ad eum venerunt, opem petentes contra Alchathijum, ab Islamismo alienum (الخطى الكافر). Rex eos honorifice Taazi excepit et auxilium promisit. A. 817 decimo nono mensis Djumadae prioris Scheichus Thahirus b. Maüdhah (طاهر بن معوضة) ad eum venit, quem una cum sociis benigne excepit ac muneribns affecit. Anno 820 praefectus Sanaae contra tractum gentis Benu Thaher, quae gens regi erat dedita, contendit. Rex hoc nuntio accepto, exercitu instructo ei obviam venit in loco Adhdharam dicto. Imamus vincitur, magna exercitus pars caeditur, rex eum persequitur usque ad Wadi Chaban. Dein per Makaranam, Aladjalim, Abinum, Datsinam, regionem Alii b. Hasam Azzohairi, invasit, quem criminum auctorem putavit, sed postea insontem invenit, quam ob causam multa pecunia eum donavit. Tum arcem Racijjeh (dubito de voce ركية, qnae punctis diacriticis destituta est), et Kawarir expugnavit, quae ei tantum placuit, ut plura palatia in ea exstrui iuberet. Adenum, Taazum Zebidumque profectus ad regiones Asabi propter magnam incolarum rebellionem se convertit, ubi quadraginta arces expugnat. Anno 822 Husainus frater eius contra eum surrexit, Zebidum cepit ibique imperium exercuit. Habuit ille cognomen Adhdhafir. Rex autem mox ex arce Taaz profectus Zebidum rursus expugnavit fratremque captum et vinculis

constrictnm ad aedes Aladab (دار الادب fortasse nomen carceris) in arce Alfaz sitas misit, indeque ad aedes Aladab arcis Taazi. Mox fratrem audiens rebellionem redintegrasse, post trium dierum obsidionem denuo eum cepit et in arcem Tsa'bani misit, dein fratrem suum uterinum Almelik Dhahirum illum oculis privare iussit, id quod factum est. Mox vero eum facti poenituit et fratrem, quod citissime mandato satisfecerit, vituperavit. Tum Zebidum reversus in pagum Nachl se contulit, inde ad portum novum ad Alkaram (القارة desunt puncti diacritici), quem coli iussit, profectus est. Post reditum in oppidum Zebid anno 823 venit nuntius regis Sinensis, magna et pretiosa tribus magnis navibus secum portans dona ad regem Nasirum. Hic introductus ad regem non ut mos ferebat, coram ipso solo oscula dedit, sed dixit «dominus tuus Sinae imperator salutem tibi dicit et ut iustitiam erga subditos colas, mandat». Annasirus hanc rem non aegre tulit, sed de nuntio gavisus, honorifice eum excepit atque in domum hospitibus destinatam deduxit *). Tum una cum nuntio ad regem Sinensem epistolam cum feris huius regionis et vestimentis praestantissimis misit. Legatum ipsum proficiscentem usque ad urbem Adenum cum

*) واسكنه بدار الضيافة. Niebuhrius retulit, vel suo tempore in pluribus oppidis vicisque domus exstitisse, ubi hospites, nulla pecunia data, exciperentur. Dicuntur lingua populari: Karawanserei. vid. eius descript. Arab. p. 46 et 47, sed haec, quae loco nostro commemoratur domus, diversa ab illis fuisse videtur, quippe quae domus cuiusdam principis, in qua hospitibus suis habitandi veniam daret, putanda sit.

comitatu duci iussit. Anno 824 Jemana magna penuria premebatur, quam princeps multum hominibus levavit, ut una nocte tria millia hominum cibasse dicatur. Anno sequenti duo filii Saadoddini Almudjahidi, fugientes ab infidelibus, ad Bender Annafah (بندر النفعة) venerunt, indeque Zebidum intrarunt. Rex ad eos se contulit, primum ipse contra infideles proficisci cupivit, tum vero ducentis eos equitibus ad bellum instructis donavit, et ad urbes ipsorum dimisit, nec vero eos vario modo adiuvare omisit, donec eorum potentia aucta esset. Muhammedes b. Nedjah Alaschari, qui in primordio imperii Nasiri, a. 806, quum multas, quibus potitus erat opes, augere cuperet, eamque ob causam regem adiisset, Zebidum pervenerat, consilium non assecutus, sed in ipsa urbe mense Rabia priori eiusdem anni interfectus est *).

Rex Nasirus non descivit a consuetudine maiorum in templis aliisque aedificiis sanctis tum exstruendis tum reficiendis. Exstruxit portum ad ripam fluminis Zebid et arcem Alfaz in loco Kawarir ibique plura domibus loca ornavit. Excelluitque eximia erga subditos cuiuslibet conditionis generositate et mansuetudine, neque quidquam in eo vituperatione erat dignum, nisi quod in fratrem Husainum commiserat. Tehamae regionumque montanarum imperium usque ad mortem obtinuit m. Djumada priori a. 829 **).

Accepit imperium Almensurus Abdollahus b. Ahmed, rex insignis aequitate, for-

---

*) Hanc rem auctor suo loco inserere oblitus esse videtur.

**) Teste chronico Jemanensi bibl. Lugdun. obiit a. 827, cf. Hamak. spec. catal. p. 186. Not. Teste Deguignesio vero anno 830. vid. eius opus l. l. p. 568.

titudine, pietate, multisque aliis virtutibus, quas continuo usque ad mortem, decimo quinto mensis Rabiae prioris a. 830, exercebat. Et hic quoque Taazi sepultus est.

Sequitur frater eius Alaschrafus Ismailus b. Ahmed, qui cum tenerae adhuc esset aetatis, proceres complures regno administrando sunt praepositi. Sed hi discordes inter se erant, unde factum est, ut servi nonnulli superbius se efferrent regemque a. 831. d. IX. Djumadae alterius, in palatio regio Alachdhari nominato urbis Taaz captivum facerent. Quo facto domum illam diripuerunt, praedamque abstulerunt. Huius regis tempore urbs Kadra, ad Wadi Seham sita, direpta, cuius praefectus Alabbâs b. Muhammed Alkameli tunc temporis erat.

Anno et duobus mensibus postquam Alaschrafus imperium acceperat, omnium consensu regni gubernator constitutus est patruus eius, Almelik Adhdhahir Jahia b. Ismail, qui a. 831 e carcere urbis Tsa'bat dimissus *), inauguratione accepta regem Aschrafum custodiendum in arcem Dimluwwah misit, ubi in carcere ad mortem usque detinebatur **). Tum Adhdhahirus Zebidum mana pompa secundo mensis Dsu'lkadah ingressus est. Biennio milites, qui rebelles fratrem ipsius regem sibi elegerant, gravi poena perdidit; su-

*) Quantum scio, haud narravit auctor, quam ob causam in vincula coniectus sit. —

**) Cum hoc facit, quod Hamak. e Chronico Turcico ms. refert, nisi quod, teste illo, Adhdhahirus a. 831 regnum sibi vindicavit. Praeterea ibi hic rex non Ismaili sed Aschrafi filius nominatur. vid. Hamakeri spec. Catal. p. 187 nota. —

perbius enim se gerebant, quum se quemcunque et regem creare et a regno removere, posse putarent; tum in Vezirum Aschrafi, Alkadi Scherfoddinum Ismailum b. Abdollah Alalawi animadvertit, magnamque simul pecuniae vim ei eripuit. Mox eum dimisit, simul tamen uxorem eius maritum relinquere iussit, quod Scherfoddinus, sibi metuens, concessit. Hoc comperto rex illum urbi Mahalib præposuit, uxorem eius, Muzaam arcessitam, in matrimonium duxit. Quae res Ibn Alalawi tam perturbavit, ut Meccam aufugeret, XXVI. Djumadae alterius a. 833. Rex Adhdhahirus dein, hoc nuntio accepto, fratrem eius Aschschehabum Alalawium capere eorumque domos opesque occupare iubet; confugit ille ad domum Alschaichi Alghasali Ibn Thalhah, ubi vero auxilium contra principem ei recusatum est, tum in gymnasium matris principis, Alfarhanijjah appellatum. Inde abripitur et in capite portans Alkoranum ad principem ducitur, qui ut statim ei caput abscindatur, imperat. Res peracta est, antequam mater principis de re certior facta erat. Hae res decimo octavo mensis Redjebi gestae sunt in urbe Zebido. Quo facto rex utriusque opes sibi vindicat, aedificia diruit. Scherfoddinus Meccae permansit, donec initio anni 835, ut fama est, veneno interficeretur.

Adhdhahirus vias Zebidi reficiendas et muniendas curavit atque Dar Assali ad portam Schabarik exstruxit, a. 832. Alkadi Takioddinus *) Omarus b. Alwezir Scherfoddin Abilkasm b. Muabbad ab Adhdhahiro Vezirus in urbe Muzaa con-

*) Vox تقى punctis diacriticis caret.

stitutus est m. Djumada altero a. 833. Rex Dehleki regi decimo quarto mensis Ramadhani magna misit munera, inter quae praecipue memoratu digna videntur elephas, leo, puellae, servi et Zibethum. Quarto mensis Zafari anni 835 Scheichus Schemsoddinus Alius b. Dhahir b. Maüdhah b. Tadjoddin eum Taazi visitavit, et a. 836 cum rege affinitate coniunctus est *); nam rex filiam eius in matrimonium duxit. Eodem anno mater Sultani, Alharrah Adhdhahirah Zebidi mortua et sepulta est, in cuius honorem Adhdhahirus gymnasium exstruxit. Anno 837 Zebid magna et pestifera contagione vexata est, qua triceni fere homines singulis diebus absumebantur, isque morbus tantopere grassabatur, ut multis in aedibus omnes ab eo ita corriperentur, ut iam nemo eorum curam habere posset. Eodem hoc anno pluvia hiemalis vehementissima erat, et permulta aedificia Zebidi torrenti aqua destructa sunt. Morbus vero ille a Zebido in totam Jemanam propagatus, Meccam adeo infecit, ut multæ domus huius urbis omnibus incolis privarentur.

Tres filii Adhdhahiri Ismailus eiusque frater uterinus Annasir Ahmedes et Salihus Alhasanus hoc anno rite circumcisi sunt Zebidi. Et a rege Adhdhahiro et ab uxore eius complura ædificia ad cultum divinum pertinentia exstructa sunt. Sub finem imperii eius altera pestis ingens in Jemanam incidit, a. 839, quae praecipue in regionibus montanis grassabatur, qua permulti

*) Ita explico verba nostri: وانفقت الصهارة الكريمة بيبس quamquam voci صهارة significatio affinitatis in lexicis non adscribitur; sed صهر, est propinquus, socer.—

proceres perierunt. Hunc annum quilibet incolarum Jemanensium in memoria fixum tenet, nomen ei inditum Sanatoldjifillah سنة الجفلة *). Eodem fere tempore Koraischitæ **) urbem Feschalum vastarunt, principem ei præpositum, Schemsoddinum Alium b. Musa, una cum multis ex incolis eius interfecerunt mense Rabia priori anni 842, quo anno etiam, ultimo quidem die mensis Redjebi, rex Adhdhahirus Zebidi, quo morbo iam infectus ex urbe Taaz pervenerat, mortuus est.

Successor constitutus est filius eius maior natu, Almelik Alaschrafus Ismailus, qui patrem Taazi rite sepeliendum curavit ***). Imperium eadem, qua pater, ratione bene administravit, belli præcipue virtutibus præ omnibus maioribus excellens. Erat vir magno corporis robore et animi audacia præditus, qua de causa cognomen Almedjnun (Dæmone obsessus) accepit. Omnia vero imperii negotia ipse subire solebat. Initio m. Zafari a. 843 Koraischitæ in vicum Almemlah prope Zebidum irruerunt, atque arcem Kaisarijjah †) deprædati sunt; præterea huic regi multa bella cum Arabibus erant, quorum quædam fan-

---

*) Vox جفلة quam ita pronuntiandam esse auctor disertis verbis admonet in lexicis non occurrit, ne in Kamuso quidem. Fortasse ei significatio c o m b u r e n d i, humi posternendi inest, cum radix جفل hoc significet.

**) Nomen punctis diacriticis caret.

***) Monendum est, omnes reges, qui antecesserant, Taazi in gymnasio Adhdhahirijjah sepultos esse, et haec urbs regum sepulcro peculiariter destinata videtur fuisse.

†) Ante narratum erat, القيسارية esse arcem urbis Memlahi. —

sta, alia fortuna adversa finiebantur. In his numerandus est dies Aladsìb (العذيب), octavo Zafari a. 843, quo Koraischitæ et Almaazibitæ, qui regem adorti erant in palatio Aladsìb inter palmas prope Zebidum, magna clade afflicti sunt; tum dies Alfas *), quo itidem multi eorum trucidati, dies Alarmah **), quo Koraischitae magnam partem exercitus Alaschrafi ceperunt et occiderunt, reliquos ad vicum Tuhaitam usque profugarunt; tum die XXIX. Dsulkadae eiusdem anni atrox prœlium Alkahiræ inter regem et Almaazibitas commissum est, quo multi militum regis occisi sunt, in his duo quoque Emiri; porro cum Koraischitis prœlium Almaschacah (vox المشاقة diacriticis litteræ ق punctis caret) commissum est, quo perpauci ex exercitu regio cum ipso Aschrafo salvi evaserunt, denique «dies convivii» a. 845 Djumada priori, quo rex multos ex optimatibus Almaazibitarum in urbe Beitelfakih b. Adjil ad convivium vocavit et inter epulas exercitum capita illorum detruncare iussit, quadraginta eorum perierunt, pauci effugere.

Alaschrafus mortuus est a. 845 die Martis m. Schawwali in palatio Dar Alsorur appellato urbis Taaz ***). Tum consecutus est imperium filius patrui eius Almelik Almudhaffirus

*) الفص cur ita dictus sit, non additum. Vox punctis diacriticis destituta est. Puto فحص pronuntiandum, quia antea locus huius nominis occurrebat, ubi proelium fortasse commissum est. —

**) العرمة fuit, teste Mininskio in lexico: locus in Arabia, unde forsan hoc proelium nomen traxit.

***) Teste Chronico Turcico ms. tyrannidis causa interfectus est. Hamak. spec. catal. p. 187. —

Iusuf ben Almelik Almensur Omar b. Almelik Alaschraf Ismail ben Alabbâs. Is iam antea Usabum, Alschaichi Alzalihi Jahjae ben Omar domini Alzaihuhi *) præsidium imploraturus, profectus erat, et incolæ ei iam tum propter insignes eius virtutes valde erant addicti Jam igitur imperium accepit, idque in vico Zaihuh ad tractum Usabi pertinenti, dein Taazum decimo nono eiusd. mensis pervenit. Mox vero multi Turcarum et milites, qui antea se illi submiserant, obedientiam denegarunt, simulque satellites ab eo deficientes duce Baschico Alhaseki **), Zebidum profecti, regem sibi cooptarunt Almelik Almufadhdhalum Sajjidoddinum Muhammedem b. Ismail b. Otsman b. Alafdhal. Isque anno 846 quinto mensis Muharrami intravit Zebidum. Arabes in urbem intromisit, eosque armis et equis instruxit. Ita ad bellum parati palmas ad fluvium Zebid occuparunt, quas Koraischitæ et Almazabitæ inter se diviserant. Paulo post, discordia inter hos exorta, Almaazibitae remoti sunt, eaque regio in potestate Koraischitarum permansit usque ad id tempus, quo Scheichus Alius b. Thaher sibi oppida horum tractuum vindicavit, quæ quidem res mox narrabitur. Zebid autem hoc tempore crebris vexationibus militum afficiebatur. Advenerant missi ab Almudhaffaro Aththewaschi Muhsin, Aschschehabus, Assebahi, Alwadihus b. Hasan et Scheichus Schem-

*) صىحوج, secunda litera puuctis destituta; nihil de ea inveni.

**) بشمك الحاصكى in eadem pagina occurrit بشمك الخاصكى المفسد desunt vero in priori puncta diacritica.

soddinus Alius ben Thaher. Cum Aththewaschi Nadjib *) de horum adventu audivisset, Almufadhdhalum Zebidi captivum fecit, et cum illi in urbem intrassent, Taazum eum captivum octavo mensis Rabiæ posterioris abduxit; quo die Alwadihus b. Hasan mortuus est, Almufadhdhalus martyrio occubuit. Ben Thaher, tum Almudhaffaro eum vocante, abiit. Baschik Alhaseki Almuffid, qui cum parte sociorum ab Almudhaffaro defecerat, in vico Koraischitarum commoratus, inde Zebidum saepius capere tentavit, sed urbe non expugnata interfectus est ad portam Nachl m. Rebia altero. Paule postea Nadjib, Taazo cum quadraginta servis profectus, seditionem excitare studuit, atque magna crudelitate ubique sævivit, vastavit, trucidavit. Plura optimatum in templum magnum urbis Zebidi inclusit. Cum servi iam stipendia **) postularent, hanc ob rem ad Almudhaffirum litteræ datæ sunt; sed rex nullam earum rationem habuit. Hinc servi omnes proventus regionum circa Zebidum sitarum rapuerunt. Cum deinde exercitus divulgaret, regem Almudhaffirum debilitatis causa in dignitate porro permanere non posse ***), pars servorum ad urbem Hais progressi novum regem quæsierunt et Ahmedem Annasirum b. Adhdhahir

---

*) الطواشى نحيب sed paulo post occurrit نجيب.

**) جوامك vox in lexicis non obvia. Est pluralis جومك vocis tartaricae, quae "stipendium" significat et saepius in vita Timuri legitur. edit. Mangeri. p. 200.

***) In chronic. Turcico hoc adscribitur Zorbaeis (زوربه) sed quinam illi fuerunt? cf. Hamak. spec. catal. p. 187. not.

b. Jusuf b. Abdallah b. Almudjahid Ali Arrasuli Sultanum elegerunt; is Zebidum fine Djumadæ posterioris intravit. Sed non ita multo post turba servorum ad portam regiæ perrexit et quemvis obvium trucidavit, deinde, urbis ædificiis dirutis, prædatum ivit. Hæc seditio inde a V. Redjebi usque ad VI. Scha'bani uno tenore agitabatur. Tum vero quum Sultanus ad inspiciendas palmas in valle Zebid cum exercitu urbem reliquisset, et quinquaginta ex faece populi, se vinci non posse rati, portas claudere cœpissent et iam in eo essent, ut portam Alschabarik clauderent, caeteris clausis, subito exercitus ante hanc portam advenit illosque attonitos et fugam capientes repulit in urbem, quam, illis in domos procerum confugientibus, deinde foede vastavit. Sultanus, qui post preces vespertinas in urbem rediisset, eodem modo agere pergit, et quemlibet in occursum venientem occidere iubet. Nil relictum est incolis et quod in puteis alibique absconditum erat, id ipsi educere coguntur, quoquoversum, ut vitam servarent, in regiones fugientes. Ex aedibus praeter domus praefectorum nullae incolumes reservatae. Rex autem ob hanc rem, quae sub regno eius acciderat, cognomen Alchasir *) accepit **). Continuavit ille

*) Vox spuria, nec, quomodo efferenda sit, ex codice pro certo affirmari potest.

**) Maximae huius temporis tempestates in M. Turcico etiam indicantur, ex quo Hamak. ita retulit l. l. " Hoc (Aschrafo) mortuo ingentes turbae regnum Jemanicum turbarunt. Nam quatuordecim annorum spatio octo principes fuerunt cett.;, Recte vir clariss. reges Almalec Adhdhaher Jahja et Almalec Alaschraf Ismail spurios arbitratur; nam in nostro non nominantur.—

imperium usque ad m. Rebiam priorem a. 844, tum vero una cum filiis captus et incolumis Thalhijjam *) missus est; regnum autem Zebidi Almeliko Almesudo Selahoddino Abulkasim b. Alaschraf b. Annasir, tredecim annos nato, duodecimo mensis eiusdem traditum. Is Adenum se contulit medio m. Dsulka'dae.

Benu Thaher tunc temporis in urbe Lahadj degentes, regem Almudhaffarum adiuvarunt, ea causa adducti, ut imperio labefacto ipsi rebus potirentur. Rex Almesudus contra eos contendens a. 848 Lahadjum ingressus est.

Eodem hoc anno magna pestis in Jemana, et praecipue quidem in parte montana, grassabatur, quâ qui mortui sunt, omnem numerum excedunt.

Anno 849 Emirus Zeinoddinus Djajjaschus Assunbuli Zebidum versus contendit, cui urbi a rege Mesudo praepositus erat. Mesudus cum gente Almaazibah pacem inierat, cum Koraischitis autem apertum gessit bellum. Descendit cum exercitu, servitiis et Almaazibitis ad vicum Nachl, ubi Koraischitae eum inpugnarunt viceruntque a. 850 decimo octavo m. Rebiae. Servi ducesque aufugerunt, complures praefectorum occisi sunt, ipse Zeinoddinus effugit. Est haec pugna inter omnes nota nomine Aladsib alterius **).

Cum Mesudus dein Almudhaffarum in arce Taazi obsidione clauderet, et valde urgeret, is

---

*) طلحية punctis diacriticis caret, et pluribus locis in codice non distincte scripta est.

**) عـذيب الاخرى. Prior pugna huius nominis cod. p. 29 memoratur et a. 843 accidit.

Benu Thahir in auxilium vocavit. Advenit itaque Scheichus Amerus b. Thaher contra Mesudum, ad Darolfasthal *) exercitum statuens, ut cominus bellum contra eum inciperet; sed statim a Schehabo Assebahi vehementer impugnatus in regionem suam rediit. Mesudus autem non desivit commorari in palatio Alwad appellato (دار الوعد) donec Benu Thaher, altera vice reversi, eum inde depulerint a. 852 decimo quinto m. Ramadhani, ita tamen, ut salvus cum omnibus suis primum Muzaam, dein Hakram et inde Adenum sexto mensis Schawwali se conferret. Hoc Adeni commorante Benu Thaher et Almudhaffarus m. Dsul'kahdah Lahadjum profecti sunt. Mox inter hos bellum exoritur, pars exercitus Mesudi trucidatur, deinde vero Almudhaffarus a Mesudo capitur, a. 854. — Eodem anno urbs Zebid una cum tractu circumiacenti magna penuria premebatur, unde hic annus سنة مجرز vocatus est **).

Ibn-Thaherus per aliquod tempus domum, quam Lahadji aedificaverat, habitavit, tum in terram suam rediit; inde vero mense Almoharramo a. 858 cum exercitu reversus proficiscitur, copiis Mesudi impugnatur et se recipere cogitur. Ze-

*) دار السفستال Littera ف puncto diacritico caret, de loco hoc nomine insignito nil quidquam inveni.

**) سنه محسرر; vox محرر obelo est notata. Non dubium videtur, quin مجرز legatur i. e. annus, quo terra plantis carebat. Addit auctor, hunc annum vel suo tempore nomine سنة الجوع in ore incolarum Zebidi ferri, atque regnante Ahmede Annasiro alteram exstitisse penuriam nomine سنة احمد vel سنه قميع notam. Et haec vox caret punctis diacriticis in littera ق.

bidum continuo inde ab imperio Almudhaffari usque ad finem imperii Rasulidarum in potestate servorum erat, qui ultimo die mensis Schahbani anni 855 Almuajjadum Husainum b. Almelik Aththaher b. Alaschraf illic regem constituerant*). Quo nuntio accepto Mesudus mense Ramadhano adversus Zebidum profectus, urbem non intravit, sed ante portas substitit. Mox quum dolum et perfidiam a militibus tractari sensisset, rediit Taazum, indeque Adenum. Non desiit autem inter eum et Benu Thaher vario Marte pugnari, donec ipse imperium abdicaret et Adenum relinqueret die VI Djumadae alterius. Muajjadus eam occupavit, XXVII eiusdem mensis, et ibi permansit usque ad id tempus, ubi duo reges e gente Benu Thaher advenirent, quae quidem res proximo capite enarrabitur **).

CAPUT OCTAVUM.

Historia regum fratrum Almelik Adhdhafir Selahoddini Amer e gente Benu Thaher ben - Maudhah ben - Tadjoddin Koraischitae Ohmaritae et Almudjahidi Schemsoddini Alii.

Rex Almudjahidus et frater eius ex terris suis Adenum contenderunt. Almudjahidus, nulla re impeditus ab incolis, cum parva militum manu

*) Hunc auctor in versibus in fine libri non ennmerat, propterea quod, a servis creatus, non ab omnibus agnoscebatur.

**) Teste chr. Jem. post hunc Almelic Almofadhdhel ex hac gente regnavit, qui a. 859 imperio privatus est; vide Hamak. spec. catal. 187. Nota. —

urbem intravit nocte diei Veneris vicesimi tertii Redjebi 853, a parte arcis Taakkur; mox frater eum sequebatur *). Ita urbe et arcibus potiti, virum quem fidum existimarent, ei praefecerunt. Cum Muajjado benigne egerunt, nil ei eripientes, sed quaevis ab eo, dato pretio, emerunt.

Mesudus, qui Adenum reliquerat, ut narratum est, primum Garanum, inde Hakram profectus, ibi a Scheicho Abdollaho b. Abisarur circiter duos menses opem petiit, tum vero mancipia ex urbe Zebid eum adierunt et rogarunt, ut cum ipsis Zebidum veniret. Ille, securitatis fide accepta, secundo Ramadhani illuc profectus est, ibique usque ad XXI Schawwali permansit. Dein arcessito Abdollaho Sahib b. Abisarur, praefecto Hakrae, cum eo Taazum contendit. Sed cum in itinere Haisum pervenisset, consilio imperii abdicandi capto, servos Zebidum remisit, et Hakram conversus apud Abdollahum aliquantulum commoratus est. Tum Meccam proficiscens optimates Zebidiacos ad Imamum Almudjahidum misit, ut in verba eius iurarent. Hoc factum, postquam ille arcem Taakkur mense Dsu'lkadah ceperat et postquam Emirus Zeinoddinus Djajjaschus b. Sulaiman Assunbuli cum asseclis triginta circiter numero Adeno propulsatus erat. Hic Emirus, Muzaae versans servos litteris monuit, ut ipsi Zebidum intrare permitterent, Cum vero illi in diversas abirent sententias, dux denique eorum Jusufus b. Alfulful eum in urbem adduxit, invita parte contraria. Ille iam sedem hic

*) Nieb. refert, Benu Thaher anno 859 imperium accepisse. l. l. p. 189.

fixit ac servorum benevolentiam captavit, tum autem Almudjahidum de discordia servorum et impotentia certiorem fecit. Hic eum monuit ut discordiam inter eos concitaret eoque eorum potentiam magis magisque debilitaret. Hic prudentia sua res eo perduxit, ut pars eorum Almalic Almudjahido iureiurando dato obedientiam pollicerentur. Hac ex parte securus plures ex proceribus urbis, iudicibus et viris doctis ad Almudjahidum cum litteris misit, qui statim III Schawwali anni 859 Adeno relicta Djabanum se convertit et exercitu collecto versus Taazum contendit, et ibi a Koraischitis, qui tunc temporis numerosissimi et multum discordes erant, legati advenerunt, quibus pulcra quævis promisit. Taazo relicta per Muzaam proficisci et inde Zebidum aggredi statuit. Muzaam mense Dsu'lkadah pervectus Scheichum Jahjam b. Omar Atstanebi praefectum Hodeidæ, qui antea Adenum veniens imperio regis Almudjahidi eiusque fratris iureiurando dato se subiecerat, in urbe Beitolfakih b. Adjib sedem figere ibique res Arabum ibi degentium componere iussit eumque omnibus, quibus ad hanc rem peragendam opus esset, bene instruxit. Cum hic, quæ iussus erat, bene absolvisset, Almudjahidus urbem Hais adiit. His rebus feliciter gestis spem omnem salutis abiecerunt, et pars eorum nocte XXI. Dsulhadjdjahi fuga salutem petiit. Hanc ob rem Emirus Zeinoddinus*) matutino tempore insequentis diei præconem in urbe divulgare iussit, urbem regi Almudjahido

---

*) زين الدين جيباش السنبلي vocabatur, hoc loco جايش dictus est, id quod scribae errore ortum videtur.

traditum iri, et cum unus, quem ducem suum servi creaverant*), propterea eum obiurgaret, gladio iussu eius a fratribus Ismaila et Alzadiko caesus est. Servi deinde et cum ipso consentientes et discordes concurrebant ad aedes Emiri, sed is Abdollahum b. Zaitun**) caput servorum et seditionis una cum multis servitiis cepit et in vincula coniecit. Quo facto reliqui servorum, numero fere quadringenti, in omnes partes dissipati sunt. Cum dies Veneris hoc modo paene iam elapsus esset, pauci, qui reliqui erant, homines in oratione solenni Imamo et regi Adhdhafiro Amero b. Thaher, qui minor natu erat, benedixerunt. Muajjadus autem Meccam***) et inde in Aegyptum profectus est, ubi benigne a Sultano exceptus stipendium, quo Meccae viveret, accepit. Quam ob causam Meccam revertit et ibi usque ad mortem permansit.

Miro autem modo accidit, ut dum Thaheridae duo urbes Ahdenum et Zebidum intrarent, Almuajjadus in utraque earum esset, ut porro die Jovis qui dies festi esset, pro Almuajjado Husaino preces publicae fierent, die Veneris vero Ahmero ben-Thaher. Sequente tum die, qui erat secundus Altaschriki †), pars servorum muros conscendit, pars in domos procerum urbis††) confugit.

*) Nomen eius, quum desint omnes signa diacritica, in duabus vocibus legi non potest.

**) زيتون Vox signis diacriticis destituta est.

***) Id quod iam ante relatum erat.

†) Sunt tres dies post festum victimale ايام التشريق appellati.

††) Ita explicaverim voces بيوت مناصب البلد.

Cum deinde Emirus Arrakanus *) Abdorrahmanus b. Muhammed. Alkameli ad Almudjahidum confugiens urbem reliquisset, Alius b. Thaher cum docto Schemsoddino Jusufo b. Junas et Koraischitis eam tertio die Altaschrik ingreditur, cui omnes, nulla caede nullisque rapinis afflicti, se subiecerunt. Koraischitae autem in regionibus vicinis praedabundi grassabantur, in servorum domus invehentes, id quod ab ipso Almudjahido, ut fama fert, iis erat permissum. Quod, ubi Zeinoddinus animadvertit, portam Schabarik clausit. Tum incolae Zebidiaci et Arabes, qui in ea erant, in illos irruerunt et quindecim circiter eorum trucidarunt. Cum Koraischitae hunc in modum angustiis premerentur et se, si usque ad vesperam in urbe remanerent, omnes occisum iri, intelligerent, ad principem Zeinoddinum confugerunt, veniam ex urbe exeundi petentes. Qua impetrata versus solis occasum abierunt, ab incolis insectati et foede vexati **).

Anno 860 XXV Muherrami Mudjahidus et filius fratris eius, Scheichus Djemaloddinus Muhammedes b. Daüd contra gentem Almaazibah, qui in vico Dhadja sedem habebant, expeditionem

*) ارکر vox dubia.

**) Auctor hoc loco narrationes inscrit nonnullas levioris momenti, inter quas memoratu dignissimum videtur, quod Maahsibitas, dum quotannis ex eorum regionibus arborum fructus auferret, eorum potentiam infringere studuit et multa proelia cum Arabibus Syriacis a Zebido usque ad Almur commisit. De agendi ratione Benu Thaher per transennam ostendit, ita tamen ut figura praeteritionis utatur, addens haec ad chronicon non pertinere; nos ea omisimus.

susceperunt. Erant tunc temporis numerosi et paene ducentos equites emittere poterant. Multis eorum exitio datis cum septem capitibus, quae amputaverant, Zebidum reverterunt. Hoc proelio gens Almaazibah Emirum Muhammedem b. Hazim propter equi infirmitatem ceperunt et trucidarunt. Die XXVIII. huius mensis alterum proelium nomine الحجرية (vox punctis diacriticis caret) notum cum gente Almaazibah, nimirum tribu Benu Ja'kub, commissum est, quo Almudjahidus victor exstitit et equitem quendam celebrem Ebn-Djonaidah appellatum occidit. Die XIX. Rebiae alterius Scheichus Salihus Schihaboddinus Ahmedes b. Muhammed b. Aflah mortuus est, et feretrum, cui funus eius impositum, ipse Mudjahidus ad sepulcrum deduxit. Paulo post die vicesimo quarto rex Adhdhafirus Selahoddinus Amerus b. Thaher magnifice Zebidum intravit, ibique aliquot dies commoratus cum fratre Almudjahido Taazum contendit. Almudjahidus inde Adenum se contulit. Fine mensis Redjebi et initio Schabani omnes regiones Jemanenses locustarum multitudine admodum vexatae sunt. Interim potestas Koraischitarum valde imminuebatur morte principis eorum, Assadiki b. Muhammed Garab, die vicesimo octavo mensis Dsulhidjjah. Die quinto mensis anni 861 Mudjahidus Zebidum pervenit Koraischitas perniciose puniturus, illi vero ad Scheichum Ismailum Alhabarti (sine punctis diacriticis) confugerunt; rex equos iis eripuit; sed mox reddidit: attamen palmas ad fluvium Zebid iis ereptas incolis restituit. Decimo quarto eiusd. mensis gens Almaazibah in urbem Feschal irrupi sex ex proceribus occiderunt et viginti equos rapuerunt simulque nuntiatum est, Ben Lubeinum

arcem Taazi cepisse, sed post ab exercitu Almudjahidi advecto victum esse captumque, circiter quinquaginta militum eius occisos, arcem recuperatam. — Fine m. Rabiae alterius Abu Dedjanah Muhammed b. Saad b. Faris cum principe Schadjri *) navibus vectus expeditionem contra Adenum suscepit, dum neuter regum ibi tunc temporis versabatur. Muhammedes, quo minus urbem intraret, impediebatur. Mox vero vento vehementi exorto vehicula principis Schadjri fracta sunt. Paulo ante occasum solis vicesimo quarto eiusdem mensis rex Addhafirus Adenum pervenit. Quum autem eadem nocte vehemens tempestas mare turbaret, ille, spe omni urbis capiendae abiecta, cum navibus in ditionem suam redire cupivit. Tempestatis vi navis eius paulo post fracta, ipse a mari ad litus proiectus et a rege captus est. Multi ex asseclis eius tum interfecti tum capti sunt, ipsum Abu Dedjanam rex camelo impositum per totam urbem vehi iussit, ut omnes eum ita affectum conspicerent **). Initio Schabani Almudjahidus, expeditione in Nachlo Medinense ***) contra gentem Almaazibah inita, circiter vi-

*) Sive Schari (شحر — شاجر) cf. ind. geogr

**) Arabum moris erat, ut si quem maxima afficere vellent contumelia, eum veste muliebri, مقنعة dicta, indutum asinoque impositum, per totam urbem ducerent, idque tum praecipue fiebat, cum duces exercitum amiserant. cf. vit. Timuri ed. Manger p. 290. p. 256 rell. —

***) Legitur نخل المدلى, cui supposuerim المدنى, quae vox alibi non raro occurrit, et derivata est a مدينة; etenim مدلى unde formari possit, haud video, cf. etiam ind. geogr. s. v. Nachl.

ginti eorum occidit, tum pacem ea conditione, ut sexaginta equos darent, petentibus concessit. Mense Dsulhidjah Abbasus Alhobaischi tractu suo (Michlaf) potitus est. Qua de re quum rex Almudjahidus certior factus esset, ex sua regione statim castra movit, et Djoblae usque ad mensem Rabiam priorem anni sequentis commoratus plura cum eo proelia commisit, quibus multi hostes ceciderunt. Mense Moharramo aut Zafaro anni 862 Imamus, Sanaae princeps, contra Thaheridas profectus, mox cum obviam venientibus pacem fecit et in urbem suam rediit. Mense Dsulkadae Abdolwahabus ben-Daüd plures arces, quae sub imperio Hobaischii erant, expugnavit. Eodem quoque anno Aldmudjahidus Koraischitas afflixit, dum omnes palmarum fructus sumens, etiam plures eorum vinculis constrictos Makaranum abduxit. Decimo tertio mensis Dsulhidjdjae inter Koraischitas gentis Banul Abcar et Banu-Ali bellum civile ortum, quo gens Banu Abcar, tribus occisis, ex vico Koraischijjah depulsa est. Tum octavo mensis Rabiae prioris anni 863 Almudjahidus, Zebidum ingressus, Koraischitas inter se reconciliavit, ita ut Koraischijjam communiter habitarent. Dein Muhammedem b. Wahban Zebido praeposuit. Hic ultimo die Djumadae excursione contra gentem Almaazibah facta septingentos boves ei eripuit. Mense Redjebi aut Schahbani bellum exoritur inter praefectum Sanaae et duos reges Thaheridarum. Emirus Zeinoddinus Djajjaschus Assunbuli castra principis Sanaae invasit, multos sociorum eius occidit et equos eorum rapuit. Mense Ramadhano Almudjahidus Zebidum profectus parti Koraischitarum leges praescripsit, alios interfecit, reliquos

pretium viginti millium Denariorum solvere iussit. Mense Dsul'kahdah eiusdem anni Princeps Djajjasch Alsunbuli antea nominatus oppidum Schahr (vel Schadjr) intravit. Cum hucusque preces publicae etc. nomine regis Adhdhafiri institutae essent, anno 864, non ægre ferente fratre, haec res regi Almudjahido vindicata est. Die nono Djumadae prioris urbs Zebid ingenti incendio, a porta Kurtub usque ad Schabarik serpente, vastata est. Mense Ramadhano exercitus Dhafiri et praefecti Sanaae corruerunt, in quo certamine Sultanus Aldjaufus Alius b. Mocharisch ab Abdolwahhabo b. Daüd hasta occisus est, praeterea multi milites Djaufi interfecti sunt; sed frater quoque Mudjahidi et Adhdhafiri, Muhammedes b. Thaher, morti occubuit. Fakihus Abdossamdus b. Muhammed in captivitatem redactus, biennio post libertatem recuperavit. Quinto die eiusdem mensis inter Koraischitas et gentem Almaazibah ad Nachl fluvii Zebid proelium commissum est, in quo quinque ex Koraischitarum numero ceciderunt. Die vicesimo quinto eiusd. mensis Zebidum pervenit et secundo post adventum die ad Nachlum Medinensem profectus, et ibi usque vicesimum quartum Schawwali commoratus est; hinc excurrit in Alhadjbahum*), partem incolarum trucidat, alios captivos abducit, equos quindecim numero rapit. Tempore, quo ibi

*) Nomen hoc deficientibus signis diacriticis vario legi potest modo. Lex. Geogr. exhibet الحجبة, et ita omnibus locis procul dubio legendum est. Hoc nomine appellatur locus Jemanae in tractu سنحان, de quo vide proll. —

commorabatur, quinquaginta millia palmarum caesa sunt. Primo die Redjebi anni 865 Adhdhafirus urbe Damazo *) potitus est. M. Ramadhano iterum incendium, maius priori, Zebidum vastavit, quo dimidia paene urbis pars flammis absumpta est. Altera pars pluvia subito decidente liberata fuit. Hoc incendium apud Zebidi incolas nomine لكسعسا notum est. Almelik Almudjahidus dein mense Ramadhano Zebidum ingressus ad Nachl, Almaazibah **) se convertit; tum tractum ***) gentis Abd Alliwa عبد اللوا subegit et e castellis eius arcem Memrah cepit; quo facto octavo mensis Schawwal Zebidum rediit. Cum Scheichus Ismailus b. Abi Bekr Aldjabarti ab inimicis falso accusaretur apud Almudjahidum, quod ad principem Djasani litteras dedisset, quibus eum urbis capiendae cupidum redderet, is eum legatorum priorum et regiarum possessionum cura privat, tum vero, ubi ille innocentiam suam iureiurando probasset, partem eorum ei restituit. Eodem quoque anno palmae urbis Zebid numeratae sunt. Numerus earum erat 101,000 (مـايـة الف والف) quarum tributa pendebantur. Quindecim millia palmarum erant genti Banu-Ohdjail, quatuor millia superstiti Sophorum parti (باق الصوفة) Initio a. 866 Schemsoddinus Alius b. Alhardâni †) pietate et probitate excellens, mortuus est, cum forte, invitatus ab Almelik Adhdhafiro Amero

---

*) دماز, fortasse دمار (Dsemaro) vide indic. geogr. s. h. v.

**) Et hic pro certo affirmari non potest, num loci nomen, an palmae gentis Almaazibah sint.

***) بلاد اللوا de quibus vide indic. geogr. s. v. Mensoris et Memra.

†) Vox signis diacriticis caret.

b. Thaher, iter ad urbem Schadjrum suscepisset. Mense Schafaro eiusdem a. Adhdhafirus, cum magno exercitu multisque impedimentis, ita ut pretium conductorum camelorum, qui impedimenta gestarent, duodecim millia denariorum esset, expeditionem contra Schahrum iniit; praefectus urbis, ubi primum de adventu eius audiverat, noctu fugae se mandavit. Emirus Zeinoddinus Djajjaschus Assunbuli deinde urbe potitus est, quam paulo post Adhdhafirus ipse intravit, milites vero a diripiendo et vastando coercuit. Rex tum partem incolarum captorum navibus Adenum deducendam curavit, quo facto Ahmedem b. Ismail b. Safar Aljamini urbi præfecit. Mox principem Sanaae Dsemarum cepisse audiens, statim ad fratris filium, Abdolwahhabum, qui haud procul a Dsemaro versans collectis copiis ei restitit, cum exercitu se contulit, mense Redjebo oppidum cepit, arcem vastavit, exercitui veniam praedandi concessit. Imamus, in arce Harano obsidione cinctus effugit, sed mox arreptus et Imamo Muthahhiro ab incolis Orcubi عرقوب*) traditus est. Adhdhafirus autem mense Djumada priori oppidum Nedjram et omnia illi vicina castella et arces suae ditionis fecit, M. Redjebo huius a. Emirus Zeinoddinus Djajjaschus Assunbuli b. Sulaiman Assunbuli obiit, in cuius locum Alamoddinus Sulaiman, filius eius, substitutus est. M. Schawwalo reges Almudjahidus et Adhdhafirus Sanaa potiti sunt. Urbis ipsius Abd-Alwahhab ben-Daud a

*) Vox عرقوب signis diacriticis caret.

patruis suis praefectus creatus est. Filio Imami antea ibi regnantis plures vici et castella clientelae iure data sunt, ut ibi imperium exerceret. A. 867 Djumada altero principes gentis Benu Hafis, praecipue Ahmedes b. Abilgaits et Muhammedes b. Abilkasim ad Almudjahidum, qui tunc temporis Zebidi degebat, venerunt, quibus dona pulcra dedit. Eodem quoque anno Almalicus Adhdhafirus contra Ebn-Sofjanum ira exarsit, quum hic Zebidi homines iniuria afficeret. Haec fuit causa, ut Zebidum relinquens, in oppidum suum rediret, et inde ad Almalicum Almudjahidum Adeni degentem se conferret, quem proficiscentem ex illa urbe, donec Zebidum intraret, comitatus est. Cum Abulkasimus magna iniustitia uteretur, Almudjahidus eum remotum a munere causam dicere iussit. Tum incolis propter has oppressiones summam quandam auri *) donavit, et a. 868 tributa de malis citreis, fructibus Muz (موز), melle et piscibus pendenda hominibus remisit. Eodem quoque anno Almalicus Almudjahidus ob ea, quae in Ebn-Sofjanum commiserat, Almalico Adhdhafiro iratus fuit, ut dissensio inter utrumque oriretur. Pace vero in oppido Adeno composita, uterque rex in regiones suas rediit. Die decimo mensis Zafari huius a. Fakihus Djemaloddinus Abu Alisch? Muhammedes, idem nominatus b. Ismail Mubariz, Mufti Zebidi, vir doctus, decessit, et hoc munere dein frater eius Djemaloddinus Abulnedja (desunt

*) Textus habet اربع مايۃ اشرفي ذهبا. Vox اشرفي summam certam, sed mihi ignotam, argenti vel auri significare videtur.

signa diacritica) 'Aththajjib b. Ismail Mubariz fungebatur, qui hac dignitate imprimis dignus fuit. Mense Djumada priori Scheichus Abdolmelikus b. Daüd, comite Ebn Sufjano, Zebidum intravit, ibique aliquantum commoratus est, Ben Sufjanus autem in Syriam se contulit. Tum, postquam plures arces expugnaverat Almudjahidus, consilio peregrinandi ad aedem sacram capto, Zebidum versus contendit, sed ante urbem substitit. Jam docti et iudices ex urbe egressi ab eo petierunt, ut id consilium missum faceret. Ille contentos eos reddere studuit eo, quod urbem cum iis ingrederetur; at nequaquam, quod ceperat consilium omittere animus erat. Quo cognito Adhdhafirus nepotem suum, Scheichum Muhammedem b. Daüd misit, qui Almudjahidum ab hoc consilio perficiendo averteret. Is primo mensis Schabani Zebidum pervenit, sed nonnullos dies commoratus, Adenum se contulit*). Deinde nonnulli e Benu Hafis, in his Ahmedes b. Abilgaits, Almudjahidum aggressi sunt, sed paulo post, nuntio accepto Zeidianos e gente ipsorum circiter viginti quinque interfecisse, festinanter in regionem suam redierunt. — Die decimo nono Ramadhani Scherifus Idrisus b. Kasim b. Hasan b. Ahlân Alhasani b. Ammischscherif Muhammed ben Berekat cum amicis nonnullis ad Almudjahidum venit, qui magnis eum donis cumulavit; inde ad Adhdhafirum profectus honorificentius etiam exceptus est. D. XIV. Schawwali tempore matutino subito Almudjahidus in urbe non repertus est, quippe quam nocte cum tribus servis reliquerit, quapropter magna tristitia urbem oc-

*) Videtur igitur Almudjahidum non commovisse.

cupavit. Itaque Ben Sufjanus cum magna hominum caterva egressus ad eum reducendum, invenit eum in mari vehentem, perdita autem opera regressus, Zebidum posthac administravit et huius rei nuntium ad Almalicum Adhdhafirum misit. Tum Almalicus Almudjahidus ad littus inter Alhodaidam et Ardjum adpulit. Ibi praefectus Hodaidae Ibrahimus ben-Amru Altsabeti, eiusque iudex Muhammedes ben-Abd-Alkader Alnascheri, eiusque Sofi (صوفى) Idrisus Aldjebreti aliique eum accesserunt, et cum eo collocuti sunt, eum ad reditum movere cupientes. Rediit quoque mari vehens Bokam. Quod cum accepisset Ben Sufjanus cum exercitu instructo, comite viro doctissimo, Schemsoddino, ad eum profectus est. Ambo Bokae convenere et maris oram sequentes Muzaam, inde Adenum ultimo eiusden mensis intrarunt, qua quidem re incolae maximo atque inaudito quodam gaudio affecti sunt. Ostenderat quippe Almudjahidus praeclarum erga subditos amorem. Neque Adhdhafirus destitit fratrem adire et pace constituta uterque in urbem suam discessit. Mense Dsulka'dah pars Arabum Tuhaitam, Scheicho Abubekro b. Hasan propriam, adorti sunt, et nonnullos urbis incolas occiderunt. Fine huius m. Benu Thaher foedus inierunt cum Abyssino Scheicho, Abbâs b. Alhelal b. Abdolbaki, praefecto Hudadi. A. 869. mense Muharramo Imamus Muhammedes b. Annasir Sanaam repetiit, cum Emirus ei a Benu Thaher praefectus, Muhammedes b. Isa Albogdani*) quandam ob caussam urbem reliquisset. Qua de re iratus Adhdhafirus cum numeroso exercitu

*) In textu vox punctis diacriticis caret. —

accessit, sed Muhammedes b. Nasir muneribus cum oblatis mitigavit, ita ut cum fratre Almalico Almudjahido Zebidum se reciperet. Mense Rebia priori pars ex gente Almaazibah egressi Kadi Abdolkadirum b. Ishak et Alium b. Djafar, qui cum parte asseclarum exierant ad visitandas regiones suas, fraudulenter interfecerunt. Cum Benu Thaher hoc ipso tempore bello contra Sanaam gerendo occupati essent, Ahmedes b. Isa Koraischita cum sociis suis eos invasit, et duos eorum occidit, Emirus Ahmedes ben Sakra (caret punctis diacriticis) eorum regiones igne vastavit. Tum quoque Ben-Sofjanus, magno exercitu collecto, quum equitum auxilia ad eum venissent, ad vicum Almorrat exiit, tum apud Bait Alfakih ben-Ohdjail castris positis, eos invasit, multos interfecit, alios in captivitatem redegit, et mense Djumada priori ducem eorum, Scheichum Muhammedem b. Jusuf Arrefak, captum et compedibus vinctum Zebidum perduxit. Sed postea Almudjahidus intercedente docto Mukri Schemsoddino eum liberum dimisit. Mense Redjebo uterque rex et Abyssinus antea nominatus cum principe Baadani Alschaicho Muhammede ben-Ahmed ben Allaits Alsairi (السيرى) pacem fecerunt, Ben Sufjanus autem rebus Tehamiticis gerendis ab Almudjahido praefectus est. Eiusdem anni mense Dsulhidjdjah proelium Schabarik commissum, in quo gens Almaazibah ex servis domini (عبيد السيد) et incolis Tureibae circiter triginta homines trucidarunt. Anno 870 medio mensis Rebiae prioris Ben Sufjan arcem Aschscherif cepit et refici iussit et alteram arcem sub arce memorata in Alkahirah (القاهرة) exstruxit paulo post gentem Almaazibah, tunc temporis in

urbe Hosainijjah degentem, adortus est, multos trucidavit, opes iis eripuit. Idem porro m. Djumada altero expeditionem contra servos Ameri, qui in tractu inaccesso versabantur, iniit; turba eorum dissipata est; multisque in vincula coniectis, magnam illis abstulit praedam et arcem Zemir, difficilem expugnatu, in suam potestatem redegit. Ita vis eorum fracta et animus imminutus est. Mense Redjebo Almudjahidus arcem Hab in Michlafo Badano sitam, diuturna obsidione cinctam denique expugnavit; quæ est arx Dsu Ruaini *). Interim Adhdhafirus Sanaam invasit, cuius segetes vastavit, castella diruit, tum salvus in urbem suam rediit. Cum deinde ambo reges Adeni convenissent, Adhdhafirus altera vice Sanaam contendit, idque, ut fama est, ab incolis eius incitatus. Quum vero, perfidia eorum seductus, rex magnis cum copiis imprudenter non ad pugnam paratis processisset, subito princeps urbis Muhammedes ben Isa Scharib cum exercitu suo erupit. Major exercitus regii pars fugam capit, ipse rex cum suis satellitibus fortiter resistit, tandem multitudini succumbit, et cum pluribus suorum extra urbem occiditur. Hae res septimo mensis Dsulkadae gestae sunt. — Cum Almudjahidus hunc nuntium de fratris cæde acceptisset, celeriter Adeno relicta in regiones suas revertit, Djabel Badrum tendens et tum in oppido Dsu Djablah commoratus est, donec rerum status ad quietem rediret. Arabes Tehamitici hoc tempore aperte consilium seditionis excitandae ostenderunt; hinc b. Sufjan, in Tehama degens,

---

*) De hoc vide locum de Michlafis in prolegg.

statim ad urbem Feschal descendit, unde gentem Almaazibah, quae in confinia invaserat, repulit. Quum huius rei nuntium accepisset Almalicus Almudjahidus, Zebidum se convertit. Mense Rebia priori hui. a. doctus Mukri Assalikus Schemsoddinus Alius b. Muhammed Assarabi obiit Taazi, vir tam excellens, ut posterorum nemo eum aequaret. — Eodem quoque mense memorandum nobis est proelium in loco Malka commissum; nam Almudjahidus cum valido exercitu ad locum Beit Alfakih ben-Ohdjail prodiens, excursionem fecerat contra gentem Almaazibah, idque in hunc locum Malka Alwadain *) appellatum; in hoc certamine plures e gente Almaazibah occisi, alii graviter vulnerati sunt. Rex illis fugatis ad locum Beit Alfakih rediit. Secundo tum die eos in loco Beit mefluh dicto invasit, mulieres captivas abduxit, iumenta praedatus est. Fugientes autem insecutus est, usque ad Haidjam Ameritarum **). Rex autem sedem figens in vico Sadjinah (قرية سجينة) obsidione eos pressit, nec prius destitit, quam, quinquaginta duobus equis datis, pacem rogassent, tum vero Zebidum revertit, die XVIII Rebiae alterius, sed in exiguum tantum tempus otium ei concessum erat, cum nuntium acciperet, Ara-

*) Hic locus infra ita describitur: وملقا بفتح الميم والقاف واسكان اللام بينهما موضع بين حيث دوال ووادى رمان. Loco رمان, fortasse رمع est legendum, nam Rama et Dewal erant fluvii et vox حيث ut aliae siguis diaciticis carent.

**) هياجة العامريين vox signis diacriticis destituta est, neque quomodo efferenda sit, pro certo definiri potest.

bes congregratos *) urbem Lohadj occupasse et vastasse, incolas occidisse et cepisse, quare d. XXII. eiusdem m. huc properavit **). Die septimo Djumadae prioris matutino tempore Zebid magnis terræ motibus vehementer quassa est, quos die sequenti minus vehementes secuti sunt. Die XXVII. m. Dsulka'dah Fakihus Radhioddinus Abu Bekr b. Abdolla b. Chattab, qui Imamus templi Alaschair fuerat, exspiravit, eique filius Ahmedes substituebatur. Secundo die anni 872 expeditio exigui momenti contra gentem Almaazibah Benu Ja'kub ab Almudjahido suscepta est, qua sex hostes trucidati sunt. Medio mensis Schawwali Alkadi Djemaloddinus Muhammedes b. Mesud Abu Sakil Alansari Alchasradji Adeni obiit. Octavo mensis Dsulkadah Almalicus Almudjahidus Adenum pervenit, ibique aliquot dies substitit, tum Taazum et inde Zebidum perrexit. Sexto mensis Dsulhidjdjah advenit. Secundo ab hoc die oppidum Maktala***) ad tractum Lamiticum pertinens, incendio absumtum est integrum. Eodem mense Zebidi quoque ingens aedium numerus opumque vis exorto incendio concremata est. Quam rem quum rex Almudjahidus, tunc temporis in oppido praesens, huius mali in posterum impediendi causa plura mandata emisit; quater enim hoc uno anno urbs igne damnum passa est. — Ben Sufjanus,

---

*) العرب لجحافل Videntur Arabes ex pluribus gentibus congregati. Altera vox caret signo diacritico sub littera ج.

**) Exitus expeditionis ab auctore haud narratur.

***) Vox omnibus signis diacriticis destituta vario efferri potest modo.

postquam in regionibus Syriacis Ka'bitis ob delicta, quæ commiserant, equorum copiam abripuerat, plures in captivitatem redegerat, mense Muharramo anni 873 Zebidum rediit. Neque diu hic cessavit, cum die tertio Rebiae alterius a. 874 novam expeditionem susciperet contra gentem Alrumat, ex qua multos aut occidit, aut captivos abduxit, ingenti præda potitus. Idem decimo tertio mensis Redjebi ad tractum Zeidianorum profectus certamen cum Hafiso iniit decimo octavo eiusdem, quo Abulgaits b. Muhammed b. Hafis cum gentis suae multitudine et ex Arabibus plures quam trecenti occisi sunt. Quo facto oppidum Serbechum cepit, quod ille ut ipse id habitaret, aedificaverat eique exercitum duce Emiro Alamoddino Sulaimano b. Djajjasch Assunbuli imposuit, tum Zebidum rediit. Die tertio Scha'bani Scheichus Assalik Abulabbas b. Alazali b. Talhah Alhatur, et die XXV Djemaloddinus Muhammedes b. Abilfasl Annaschir, iudex Zebidi, mortui sunt, novissimi vicem frater Muaffikoddinus explevit. Die vicesimo sexto Ramadhani Zeidiani perfide egerunt cum præfecto Serbechi, qui apud ipsos degebat. Qui autem in eo erant principes Solaimanus ben-Djajjasch et Ihsa ben-Hatim, cum copiis ad proelium non armatis subito obruti sunt, et unus solum principum, altero cum magna militum copia occiso, fuga evasit. Die quarto Schawwali obiit Scheicholislamus Djemaloddinus Muhammedes b. Aththajjib b. Ahmed Annascheri, natus anno 781. — Almudjahidus hoc tempore parva quaedam certamina iniit, coniunctus cum ben Sufjano. Eodem adhuc anno Abdolwahhabus b. Daud filiam maiorem natu Alscherifi Alii b. Sufjan

in matrimonium duxit. Octavo mensis Dsulhidjah, Husainus b. Ali Asscherebi interfectus, Fakihus Ahmedes b. Nasir in vicem Fakihi Ahmedes b. Abi Bekr b. Chattab Imamus templi Alaschair (Zebidi) constitutus est. Primo mensis Almuharrami Abd-Alwahhab ben-Daud una cum Ibn-Sufjano et multis copiis Zebidum intravit, et inde ambo cum Almudjahido a. 875, per Beitelfakihum profecti ad locum Nachl Almaazibah (vel palmas Maazibatarum) invaserunt, partem incolarum trucidarunt, prædam abstulerunt, quo facto Almudjahidus Zebidum contendit, alteri autem, caedis, quam Zeidiani in urbe Serbecho perpetrarant, ulciscendae cupidi, ad locum Beit Hosein et regiones Zeidianorum profecti, grave contra eos certamen inierunt, quo Alius b. Sufjan quidem interfectus est die vicesimo secundo mensis Muharrami, Abdolwahabus autem victoriam reportavit, plures quam ducentos eorum occidit, et spoliis onustus quarto mensis Zafari Zebidum rediit. Scheichus Alius ben Tadjoddin septimo die mensis Rabiæ prioris Zebidum pervenit. Ante huius adventum Almudjahidus magna munera in Izzoddinum b. Hafis eiusque socios contulerat, tum iis duodecim millia denariorum dederat, quibus Arabum partem in partes suas vocarent. Cum autem his, revertentibus in regiones suas, incolae tractus Alrumat, excursione facta, opes omnes eripuissent, Almudjahidus, accepto nuntio de adventu Alii b. Tadjoddin, primum gentem Almaazibah invasit, octoginta circiter eorum occidit magnamque inde praedam abstulit, dein Alrumah adortus est, multosque incolarum trucidavit. Ab hac expeditione undecimo mensis Rabiæ prioris Zebidum rediit. Decima octava nocte eiusdem mensis Scheichus

celeberrimus, Scherifoddinus Ismailus b. Abibekr Aldjabrati Assufi, et paulo post frater eius Scheichus Abdorrezakus mortui sunt. — Novo deinde proelio commisso contra gentem Almaazibah Almudjahidus Scheichum eorum Abdollahum b. Hasan Alanbari occidit, quo facto traditis viginti quinque equis pacem sibi vindicarunt. Die invasionis oppidum Bait Alfakih ben-Ohdjail intravit, et inde post quinque dies regiones gentis Banu-Hafiz invasit, eosque, ut conditionibus satisfacientes pacem rogarent, coëgit. Tum tertio mensis Djumadae posterioris reversus urbi Zebido iudicem Scherfoddinum Ismailum b. Muhammed Alahmar præposuit. Die decimo sexto mensis Schawwali Koraischitæ, Almaazibitae et gens Alrumah coniunctim equorum possessores in loco Nachl Alwadi Zebid (vel apud palmas fluvii Zebid اهل الفرس بنخل الوادى زبيد) aggressi sunt, qua incursione Alius b. Maüdhah, qui exercitui Almudjahidi adscriptus erat, interfectus, tractusque Almurrad vastatus est. Hæc expeditio tanti fuit momenti, ut Almudjahidus cum duobus fratris filiis, Ahmede et Jusufo, et Emiro Omaro b. Abdolaziz, Adeno relicta, decimo septimo mensis Dsulka'dah Zebidum rediret, hinc gentem Maazibah et socios eorum invaderet, iisque prædam eriperet *). Mense Dsulhidjdjah prope vicum Wasith, pertinentem ad regionem Wadi Zebid, nummi multi aurei اشرق dicti, inveniebantur, ad quos colligendos undique homines affluxerunt, cum Almudjahidus permitteret, ut quod quisque inve-

*) Locus paulo obscurior est ob pravam vocum scripturam et punctorum defectum. Hunc vero sensum videtur exhibere.

nisset, in suum usum converteret. Initio anni 876 Almudjahidus regiones Syriacas Emiro Omaro b. Ubaidolaziz Alhasani gubernandas tradidit, qui cum magno exercitu sexto eiusdem mensis die eas occupavit. Qui quum aliquot dies in gente Almarawiah *) substitisset, eum accesserunt Alius b. Abilgaits et Ben-Hafis et Fakihus Muhammedes b. Abi Bekr b. Huschaibar et Fakihus Alius b. Huschaibar, quos omnes in captivitatem redactos Zebidum misit. Idem Emirus, impetu in Nachlos circumiacentes facto **), et circiter viginti incolarum trucidatis, mulieribus in captivitatem abductis, alimentis eorum ereptis, pacem non nisi octodecim equis datis concessit, et aliquanto post Almaazibah et incolas Alhadjbahi ***) qui perfide egerant cum Ismailo b. Mehfuz Almisri et parte equitum servorumque ibi degentium, impugnavit, plures quam ducentos occidit, et circiter centum capita abscissa victoriae signo Beit-Alfakihum reportavit. Gens Almaazibah decem equos, illius supra nominati loci incolæ septem millia denariorum dederunt. His rebus feliciter gestis Zebidum rediit. Die vicesimo uno eiusdem mensis idem in incolas tractus Schemiri et Benu Husain Alahmul irrupit, quibus clade afflictis pecora eripuit et quinto mensis Rabiæ prioris Zebidum

*) المراوعة nomen gentis esse videtur.

**) المحلين Vox incerta, nam omnibus signis diacriticis destituta est. Gentem quandam significare eam, non est, qnod dubitem.

***) Vox, quamvis in pluribus locis occurrit, difficillima lectu est. Aut minus distincte est scripta aut signis diacriticis destituta. Uno loco esse videtur الحجبة altero est الحجنة tertio desunt signa diacritica. conf. p. 194 adn.

rediit. — Cum Almudjahidus mense Almoharramo anni 877 gravi morbo afficeretur, ita ut, ne mors eum auferret, timerent, dignitatem regiam die decimo quinto eiusdem mensis in nepotem Abdolwahhabum b. Daud rite transtulit, in cuius verba deinde Arabes et exercitus iurarunt. Sed placuit Deo O. M. valetudinem regis restituere. — Secundo mensis Rabiæ Abdolwahhabus Zebidum pervenit, nemine quo consilio venerit sciente. Sed mox Emiro urbis, Omaro b. Abdolaziz correpto, ad Almudjahîdum Taazum contendit. Almudjahidus iam res ab Omaro peractas improbavit, immo graviter reprehendit; Emirus ille in vincula coniectus neque prius dimissus est, quam pretium statutum solverat; hoc facto Almudjahidus Scheichum Idrisum b. Abdoldjelalum Alhabîschi in arce Hudado obsedit, sed mox, obsidione omissa, vicesimo nono mensis Schahbani Zebidum reversus est. Complures viri insignes hoc anno mortui sunt, in quibus numerandi sunt Fakihus Aladib Abubekrus b. Ahmed Alikbali Azzilai *) XXIX. Djumadae prioris, Fakihus Abdorrahmanus b. Aththajjib b. Abbâs IX. Djumadae alterius, Scheichus Muhammedes b. Abibekr Albjabarti Assufi XXIX. Scha'bani. Almudjahidus, tertio mensis Schawwali Taazum et inde Djobilam profectus, gravia nonnulla certamina cum Alhabischio subiit, in quibus victor exstitit, compluribus illi castellis ex. gr. Almaznaah et Alchadhra ereptis. Taazi dein degit usque ad m. Muharramum a. 878, quo cum fratris filiis, Abdolwahhabo, Jusafo et cum

*) الزيلعى ita pronuntiandum censeo, ut nomen ab urbe زيلع derivatum sit, de qua vide indic. geogr.

Omaro b. Abdolaziz decimo eiusdem die Zebidum ingressus et paululum ibi commoratus est. Abdolwahhabus autem excursione facta dactylos palmarum urbis (Nachli Medinensis) collegit, tum redux factus cum patruo die decimo nono Taazum contendit, Omaro Zebidi tanquam praefecto relicto. Is Omarus paulo post nonnullos Koraischitarum in vincula coniectos paululum retinuit, dein Taazum eos abduxit. Quo facto ad tractum Syriacum se contulit. Mortui hoc anno sunt Scheichus Scherfoddinus Ismailus b. Muhammed Aldjabarti, perdoctus Fakihus Neharoddinus Ahmedes b. Scheicholislam Aththajjeb Annascheri, Mufti Zebidi, XXI Djumadae prioris, Scheichus Sohaboddinus Ahmedes b. Musa Almuschri, fine Dsulka'dae, et initio a. seq. 879 filius eius, Fakihus doctissimus Kemaloddinus Musa Redjib Almuschri Adjil. — Mense Rebia priori anni 879 inter Almudjahidum et Scheichum Idrisum b. Aldjelal Alhabischi pacificatum est, et ambo coniunctim Taazum se contulerunt, neque ita multo post Almudjahidus principi Abyssinorum, Schemsoddino Bedla b. Saadoddin centum et quinquaginta equos Arabicos et apparatus bellicos auxilio misit. — Et Almudjahidus et fratris filius Jusufus, absoluta Corani lectione, Zebidi magna convivia instituerunt *), quorum novissimum, a Jusufo apparatum, longe magnificentissimum erat, quam

*) Notum est peracto mense Ramadhano, quo ieiunium absolvitur, et perfecta Corani lectione, proceres diem festum agere et convivia parare. Hic dies nominabatur vel عيد الفطر, vel عيد رمضان, interdum quoque عيد الصغير, quod magnitudine vincebatur ab عيد القربان —

ob rem non incolae solum, sed Almudjahidus quoque magno eum amore persequebantur, immo Almudjahidus eum Zebidi pro rege constituit, quo munere optime ille fungebatur. Die vicesimo Schawwali Scheichus Jusufus ben-Ahmir excursionem fecit in gentem Almaazibah ad urbem Almedarah, foeda clade eos affecit, plures quam viginti homines ex iis occidit, magnaque praeda potitus, cum capitibus occisorum Zebidum rediit. Hoc anno multa Zebidi aedificia, in his quoque porta Nachl, ingenti pluviae vi destructa sunt, atque eadem res nonnullis diebus postea vehementius etiam repetita est, quum strage aedium vel incolae obruerentur *). — Medio mensis Djumadae alterius Almudjahidus, ex urbe Adeno et non multo post Abdolwahhabus et Ahmedes b. Amer cum magna copiarum vi Zebidi convenere, excursionem facturi contra tractum gentis Benu Hafis. Quo cum pervenissent, Ahmedes b. Abilgaits, Corano capiti imposito **) securitatem ab

*) Hae narrationes de vastationibus vehementis pluviae nil habent, quod miremur. Etenim fluvius Zebidi hac pluvia supra modum crescebat, et maxima vi per urbem ferebatur, quemadmodum omnes paene Jemanae fluvii, si quando pluvia multa deciderat, maximi torrentes et rapidissimi sunt facti, propterea quod e regionibus montanis in planitiem decurrerent. Haec torrentium vis maximam domuum stragem edere debebat. Observandum videtur levi modo et lateribus luto confectis et sole siccatis domos aedificatas esse, ut magnae vi pluviae resistere non possint cf., sis, Nieb. l. l. p. 183.

**) Hoc sine dubio fecisse videtur, ne Almudjahidus eum occideret. Non alia adductus causa Coranum in capite tenuisse videtur, quam ut ipsum tueretur.

Almudjahido petiit, eaque accepta multos equos opesque dono ei obtulit. Almudjahidus vero eum pro rege Zeidianorum constituit eique adiunxit Izzoddinum b. Hafis; ad reditus vero accipiendos Scherifum Alahmarum Aldjemalum Almahalebi et Scheichum Muhammedem b. Muhammed Wahban hic reliquit *). Hoc facto cum sociis Zebidum repetiit et urbem comitantibus fratris filiis quarto mensis Rebjebi intravit. Interim Scheichus Jusuf servos Ameriticos adortus et depraedatus est. D. III. Redjebi Scherifus Takjoddinus Omarus b. Ahmed Albazari, vir integritate et generositate insignis, Zebidi obiit. —

Almudjahidus, postquam paulo antea eximia dona, quorum pretium quatuor millia aureorum Aschrafi appellatorum excessit in subditos contulerat, die sexto mensis Schawwali Zebido Taazum profectus est. Hoc itidem anno multi Zeidianorum multique incolarum Zebidi diem obierunt, quorum numerus excedit trecentos Ex Emiris et iurisconsultis defuncti sunt Schemsoddinus Alius b. Ibrahim Azzilai, Mufti Zebidiacus, medio Ramadhano; Fakihus Assulih Saad b. Ali Annascheri, administrator iuris publici vice Muhammedis b. Abilfadhl, fratris ipsius filii, vicesimo octavo Dsulka'dae; Scherifus Assalih Aschschahir Amadoddinus Jahja b. Muhammed b. Aflah in Zeidianis, vicesimo quinto Rebiæ prioris a. 881.

Scheichus Jusuf b. Amer, quem Almudjahidus instructum contra Zeidianos miserat a. 881, a Benu Hafis summisse exceptus est, et reditus

---

*) Vox محالبی desumta est ab urbe Mahalib, de qua vid. ind. geogr.

regni accepit, tum pretiosa dona in tribus ad eum venientes contulit, quo facto Zebidum ad Almudjahidum rediit medio Ramadhano. Mense Schawwalo Scheichus Josephus in gentem Benu Sulaiman in via Taazi habitantem excurrit, et terra vastata, pluribus eorum occisis, arces in potestatem suam redegit. Anno 882 Fakihus Abdollahus b. Ahmed Alakali Zebido præfectus est, postquam Alkadi Scherfoddinus Ismailus b. Muhammed Alahmar ab hac dignitate remotus et Adenum, cui præesset, venire iussus erat *). Munus Scheichi defuncti, iudicis Afifoddini Abdollahi b. Aththajjib Annascheri (mortuus est VIII. Rebiae prioris) accepit frater eius Scheicholislamus Wadjihoddinus Abdorrahmanus b. Aththajjib Annascheri. — Hoc mense inter Scherifum Muhammedem Berekât, præfectum Hedjazi, atque Ahmedem b. Derib, principem Djazani, ob magnam inimicitiam, quæ inter eos intercessit, bellum exortum est. Muhammedes cum magno exercitu, comite vel tota eius familia, Mecca profectus, ad Wadi Djazan pervenit, et cum ambo frustra de pacis conditionibus convenire studuissent, gravi proelio commisso, præfectus Djazani devictus est, tantum non omnes urbis incolæ trucidati, urbs ipsa foede vastata, thesauri et magna librorum copia abrepta, palatia Chalifæ et mœnia urbis igne diruta sunt. — Non multo post mortem Fakihi Amadodini Jahjæ b. Ahmed Aldjahami, præfecti urbis Misbach in tractu Usabo sitæ († VI. Rebiae alterius), Scheicho Jusuf b. Amer mense

*) Paulo obscuriora auctoris sunt verba, signis diacriticis deficientibus.

Schabano iter in regiones Syriacas suscepit et in gente Alkerar (القرار) substitit, quo tribus Arabum ad eum pervenerunt, quas pretiosis muneribus affecit, dein reditus regionum a finibus Zeidianorum usque ad Harradhum sibi vindicavit et magnis his opibus onustus medio Ajawali Zebidum rediit. Almudjahidus m. Dsulka'dah contra arcem Scheichi Idrisi b. Habîschi, Hadram, haud procul a Hadabo sitam, catapulta adduxit, eamque magnam partem vastavit, quo facto Alhabîschi, arce tradita, se in potestatem eius dedit. Eodem m. filius præfecti Djazani Zebidum se contulit, qui blande a Jusufo b. Amer exceptus atque Adenum ad Almudjahidum missus est. Et hic benevolum se praebuit eumque multis opibus donatum ad urbem suam remisit.

A. 883 XXVIII. Muharrami Omarus b. Abdolaziz Alhabîschi in urbe Adeno, venia ab Almudjahido impetrata, praefectum Hadabi, Scheichum Idrisum b. Alhelal Alhabischi in aedibus eius occidit, atque hoc quidem praetextu utens, patrem ipsius ab illo interfectum esse. Vicesimo septimo eiusdem mensis Alkadi (iudex) Wadjihoddinus Abdorrahmanus b. Abdolalim Almechaderi, quem Adhdhafirus quondam Adeno praeposuerat, per decem annos hoc munere functus, obiit, iamque Alkadi Djemaloddinus Muhammedes b. Husein Alkemath hanc dignitatem accepit. Almudjahidus autem morbo affectus per Lahadjum et Djabel Badr profectus Djabanum se contulit, ubi post aliquantulum temporis, accessito Fakiho Djemaloddino Muhammede b. Husein, animam exspiravit die tertio Rebiae alterius, et in hac ipsa urbe sepultus est. Fuit ille præcipua erga subditos liberalitate insignis.

CAPUT NONUM.

Regnum Tadjoddini Abdolwahhabi b. Daüd ben Thaher.

Almudjahidus defunctus reliquit duos fratris Daudi filios, Almelik Almensurum Tadjoddinum Abdolwahhabum b. Daud b. Thaher, et Scheichum Abdolmelikum b. Daud, duosque fratris Ameri filios, Scheichum Ahmedem b. Amer et Jusufum b. Amer. Narravimus iam ante, Abdolwahhabum ab eo, gravi morbo affecto, successorem esse constitutum. Hic eadem nocte, qua Almudjahidus obiit, festinanter Adenum se contulit, quam de improviso cum exercitu sexto die mensis ingressus est, nuntio de patrui morte nondum divulgato, et paulo postea Kadi Djemaloddinus Alkemathus. Quo facto, cives de patrui morte certiores fecit, deinde omnes arcium praefectos et reliquos prætores ad iusiurandum adegit, leges urbis disposuit et benignum laudabilemque incolis se praebuit; inter exercitum opes et vestimenta distribuit, denique illi Djemaloddino praefecturam iudiciorum in oppido Adeno administrandam tradidit. Ibi usque ad finem mensis commoratus Taazum profectus est et inde Zebidum mense Djumada priori contendit. Ibi tunc temporis patruelis eius Scheichus Jusufus b. Amer versabatur; cui rex per litteras blande scriptas omnia assignavit, quae patruo vivo obtinuerat et Scherifum Ahmarum cum muneribus ad eum misit. Sed ille, his omnibus reiectis, bellum inchoavit, ad quod gerendum omnia Zebidi instruxit, incolas ad arma vocavit, atque, nisi ab ipsius partibus starent, foeda quaeque iis minatus est. Dein nomine Benu Thaher preces in uni-

versum peragi iussit. His permotus Almensurus postquam pretiosa quaeque Adeno Makaranam pertulerat, Taazum et inde Zebidum se convertit. Cum non procul abesset ab urbe, Jusufus servos Alsolthan et servos Alsidan (عبيد السطلان وعبيد السيدان) ex urbe egredi eamque a parte exteriore custodire iussit; sed illi, ubi primum urbem reliquerant, statim ad Almensurum transfugere. Quod cum compertus esset Jusufus, intellexit se fratruelem devincere non posse. Attamen urbe egressus servos ad officium revocare studuit et Scheichum Bahîrum b. Muhammed b. Wahban *) portam, qua exiit, claudere iussit. Eius vero animus in partes Almensuri inclinabat, itaque, cum Jusufus redux portam aperiri iuberet, non aperta est, quam ob rem ille se convertit ad arcem Kawarir, sed viae inscius nocte tenebrosa neminem invenit, qui itineris dux esset. Suadente dein parte amicorum eius, ut Almensurum adiret, seque subiiceret et rerum summam ei traderet, is revera hac ipsa nocte ad eum se contulit, benigne exceptus est, et die XII Djumadae prioris ambo coniunctim magnifice urbem intrarunt. Rex Zebidi aliquantulum in rebus componendis versatus est, Arabum tribus, ad eum advectas, donatas dimisit. Jusufus autem perpetuo adhuc timore angebatur ob id, quod contra regem commiserat, et denique, intercedente fratre Ahmede, a rege impetravit, ut si placeret, ex urbe egredi posset, quod rex, non nisi verecundia et observantia erga Ahmedem ductus con-

*) Vox بحير saepissime punctis destituta, semel scripta est, idque p. 45 ult.

cessit. Hinc Jusufus paulo post ab urbe decessit et ad portum Albokah perrexit, ubi iam navem ipsi paratam die decimo quarto eiusdem mensis conscendit. Nonnullis urbis civibus opes suas reservandas tradiderat, in his fuit Alkadi Alius b. Ahmed Annascheri. Cum paulo post rex Mensurus ab illis has opes postularet, omnes eas tradidere, excepto uno hoc Alio, qui iusiurandum ab ipso postulatum dedit. Quam ob rem rex eum a munere removit *), et successorem constituit Alkadi Takjoddinum Omarum b. Abdolmuhid Annascheri, m. Djumada priori. Sed non multo post in gratiam regis rediit, ab ipso in sociorum numerum receptus, et postero tempore filio regis, Almelik Adhdhafiro Selahoddino Amero b. Abdolwahhab, continuus itineris comes et intimus amicus fuit. Ille Omarus b. Abdolmuhid autem, a Mensuro Kadi constitutus, eodem hoc anno mortuus est, atque in eius locum surrogatus Kadi Djemaloddinus Muhammedes b. Abdosselam Annascheri, qui inde ab VIII Ramadhani usque ad auctoris aevum hoc munere fungebatur. — Rex Almensur gymnasium Almensurijjah Zebidi sexto mensis Scha'bani exstruere coepit, fossam intra moenia Zebidi circum arcem Darossela ad portam Alschabarek perduxit. Quod autem ad Jusufum b. Ameri attinet, iam vidimus, eum Zebidum dereliquisse. Venit ille in regionem prope Meccam sitam, quo ante Scherifus Muhammedes b. Berekât se contulerat. Hunc adiit ibique, bene exceptus, paululum permansit. Deinde ad præfectum Djazani, Scherifum Abulgawajirum

*) Fuit nimirum Kadi (iudex) urbis Zebidi.

accessit, atque benigne exceptus est, quod eius filio benevolum aliquando se ostenderat. Hinc ad regiones Benu Hafis profectus est, et Scheichus Ahmedes b. Abilgaits bene cum eo egit, immo filiam ei in matrimonium dedit. Itaque Jusufus hic commoratus est, donec Almensurus et Ahmedes b. Amer, frater ipsius, anno 884 Zebido contra tractum Benu Hafis contenderent. Rex iis pacem obtulit, sed hi recusarunt. Itaque proelium commissum est initio Dsulka'dae. Ahmedes b. Amer cum parte exercitus impetum fecerat, sed subito, a suis derelictus, equo ipsius prolapso, compluribus vulneribus affectus exspiravit; attamen a pugnae campo ablatus rite in loco Beit Alfakih Ahmed ben-Adjil Ahmedis b. Adjil sepultus est. Interim Scheichus Jusufus in occulto regi Almensuro favebat; hinc ambo ex composito impetum in Benu Hafis fecerunt. Jusufus, magna illorum copia trucidata, ad Mensurum se contulit, et ambo iam Zebidum indeque Taazum profecti sunt; postea vero Almensurus Jusufum captivum ab alia ad aliam urbem circumduxit, quoniam novum eum dolum machinari animadvertit. Mense Rebia altero anni 884 usque ad mensem Djumadam posteriorem 886 urbes Zebid, Taaz, Aden, Dja'bbal, Sanaa, Saada, Schehr, Mekdusa, Zila magna penuria opprimebantur. Præ reliquis vero Zila omnibus alimentis per complures dies destituta erat, ut multi homines cutibus vescerentur et fame perirent. Additum malo est malum, cum ingenti pluviae vi inundatio efficeretur, fluminibus ultra ripas aqua completis. Immo undique mala in urbem Zebidum corruere videbantur, cum anno seq. haec urbs magno rursus incendio vastaretur.

Mense Schawwalo huius a. Almensurus excursionem fecit in urbes Benu Hasis, atque secunda utens fortuna multos incolarum trucidavit, reliquos fugavit, regiones igne diruit, victor dein Zebidum rediit. Mense Rabia posteriori anni 886 arcem Hadabum, inexpugnabilem dictam, quam inde a tempore Almudjahidi obsidione cinxerat, in potestatem suam redegit, magnisque eius opibus potitus est. Eodem anno IX Redjebi Alkadi Muaffikoddinus Alius b. Muhammed Annascheri, vir et doctrina et virtutibus tam excellens, ut nemo posterorum eum aequaret, Zebidi mortuus est. — Ne hoc quidem anno Zebid vastationem ignis effugit, immo incendio in primis terribili non domus solum et opes, verum bestiae quoque hominesque non pauci absumpti sunt. Cum incolae urbis multis his malis valde infracti essent et miseriis laborarent, rex iis magna donatione, quae numerum quadraginta millia aureorum Aschrafi dictorum et sexaginta quinque millia denariorum in numis argenteis excessit, gratificatus est, quae quidem oblatio tanta fuit, ut omnes, quae praecesserant, longe superaret. — Hoc anno Djemaloddinus Muhammedes b. Daüd Alwahli, Kadi urbis Taazi, obiit, atque Fakihus Radhioddinus Abu Bekr b. Ali b. Omran ei suppositus est, qui usque ad auctoris tempus in dignitate permansit. Die nono Schabani Almensurus Zebidum profectus Emiros Omarum b. Abdollaziz et Suleimanum b. Djajjasch cum valido exercitu contra Zeidianos misit; qui cum illuc advecti essent, pacem cum Zeidianis et Benu Hasis inierunt, tum Zebidum reversi sunt, parte ex illis, inter quos et filii Ahmedis ben Abil'Ghaits pignoris causa erant, comitante, quibus pax in ipsa urbe

confirmata est. Emiri Muhammedes b. Isa . Alba'dani et Suleimanus b. Djajjasch, praeterea Alkadi Djemaloddinus Almahalebi et Abdollahus b. Almehfuh Almisri egressi sunt, ut tributa Arabum, qui inde, a Beitelfakiho usque ad Alwai'that *) habitabant, acciperent, dein magnis his opibus onusti Zebidum redierunt. — Cum die XIII Ramadhani templum sacrum Medinense, fulmine ictum, igne prorsus absumeretur, quo incendio etiam homines nonnulli perierunt, et hoc dein regi Aegypti Almalico Alaschrafo **) nuntiaretur, is architectum misit, qui templum novum, multo illud magnificentius, exstruxit. — Die XII Dsulka'dae venit Scherifus Abulawair Ahmedes ben Derib b. Chalid, praefectus Djazani, cum magno exercitu, visitaturus Almensurum Zebidi. Rex, cum hoc compertum haberet, arcessitis ex urbe sua insignibus imperii, quae perpetuo in thesauro recondita erant, Zebido cum exercitu egressus ei obviam venit. Dein cum prope accessisset, ab equo descendens pedibus eum adiit; Scherifus tum et ipse, equo relicto, amplexus est eum et salutavit. Cum paululum inde progressi essent, rex ab illo discedens per portam Siham urbem intravit, Scherifus autem per portam Schabarik. Hic rex eum magno honore excepit. Dies hicce festus agebatur, in quo rex eximium quoque amorem observantiamque erga Muhammedis familiam ostendit. Scherifus, multis opibus donatus, mag-

---

*) الواعطات de hoc nomine nil omnino inveni. Videtur oppidum vel tribus fuisse. —

**) Hic postea appellatus est Almalic Alaschraf Abul' Nasr.

noque continuo honore affectus in urbe permansit, donec rex die decimo septimo huius mensis, Zebido relicta, Taazum proficisceretur. Tum Scherifus ei valedicturus urbe exiit, et cum rediret, ab introitu, uti mos regum ferebat, impeditus est. Aliquot dies in vico Alnuwaidirah commoratus ad oppidum suum rediit. — Sub regno Mensuri inter doctos Zebidiacos dissidium exortum est. Altera pars alteram furti accusabat, et hanc ob rem praecipue Benu Ahmar, huius criminis accusati, a muneribus, quibus functi erant, remoti sunt et Almensurus deinde Alfakiho Wadjih-Aldino Abd Alkahman ben-Ibrahim Alalawi et Alfakiho Muhammedi Alhammam Diwani praefecturam (عمالة الديوان) (Kanzlei), et iudici oppidi Hais Alfakiho Ahmedi Alnachli munus Alistifa*) tradidit, quod non multo post in iudicem Scherfoddinum Abulhasim ben-Muhammed Aldjallad Adeno accitum transtulit, initio mensis Dsulkadae. Hoc itidem anno decimo nono Dsulhidjdjae grave incendium Zebidum afflixit, quod præ aliis ob magnum, quod intulit, damnum ab incolis »incendium corruptionis (العتب)« dictum est. Die vicesimo uno mensis Almuharrami anni 887 Emirus Schehabus Ahmedes b. Fachroddin Assunbuli et duodecimo mensis Zafari Imamus perdoctus Omarus b. Assalf Takjoddin Omarus b. Muhammed octoginta septem annos natus**), vir in cognitione legum Schafeiticarum unice versatus, qui et utiles libros de

*) Conf. Selecta ex histor. Halebi p. 149 adnot.

**) Nomen perperam scriptum.

hac doctrina composuit*), defuncti sunt. Mense Schawwalo Almalic Almenzur una cum duobus principibus Ohmaro ben-Abd-Alaziz Alhabischi et Muhammede ben-Ihsa Albadani Zebidum pervenit. Emirus Bahîrus (vox signis diacriticis caret) b. Muhammed b. Wahban, coniunctus cum Emiris Sulaimano b. Djajjasch Assunbuli et Helalo b. Fahd Almichlafi, et cum Kadi Djemaloddino Almahalebi, expeditionem contra regiones Syriacas susceperat. Interim Scheichus Ahmedes b. Abilgaits b. Hafis ad vicum Abuarischum in tractu Djazani aufugerat ibique paululum commoratus erat, sed mox ad Zeidianos reverterat. Hunc iam Bahîrus et Helalus post magnum irritum laborem tandem captivum fecerunt, Helalus initio mensis Dsul'kadae eum Zebidum perduxit, ubi Almensurus tum versabatur. Multum hic dies carminibus et festis per septem dierum spatium celebratus fuit. Primo vero die mensis Dsul'hidjjae eum gravioribus vinculis onustum Taazum, quo ad eum conspiciendum ex omnibus regionibus homines concurrebant, rex abduxit. Quum eodem tempore, quo rex Zebidi degebat, servi Ahmeritici vias latronum more infestarent, hic contra eos principem Ohmarum ben-Abd-Alaziz et Ahlium ben-Muhammed b. Wahban cum exercitu misit. Quum in adventu eorum in postremas regiones suas recessissent, Ebn-Wahbanum eos secutum subito adorti sunt et in angustias redegerunt, ita ut fortiter quidem dimicans cum ma-

*) De Schafeitis vid. Pocok. spec. p. 2-7, 201. Hamak. Pseudowakid 1-3. Sales Koran Deutsch v. Arnold 196, 197.

iore exercitus parte initio mensis Dsulkadae occideretur. Vicesimo nono eiusdem mensis Meccae multae aedes torrentis vi vastabantur, atque in aede sacra aqua completa centum fere homines immergebantur, portarum fundamentis dirutis. Anno 888 praeco sacer templi Alaschair in urbe Zebido Abdorrahmanus b. Muhammed Almuhtakil, cum paucis ante diebus Fakihus Jusufus b. Algazali Aldjebal successor ei constitutus esset, obiit. Eodem tempore Zeidiani Emirum Helalum et iudicem Scherfoddinum Alahmar invaserunt, Helalum trucidarunt cum filio suo et equite ex civibus urbium Turaibae et Hubalae, Alahmaro vulnera, quamquam non mortifera illa, inflixerunt, ita ut Zebidum fugeret. Almensurus hoc de nuntio valde iratus primum Emirum Omarum b. Abdolaziz cum magnis copiis contra eos misit, dein ipse instructus festinanter in eos contendit atque tractum eorum depraedatus est, et, Emiro Sulaimano b. Djajjasch Assunbuli huius regionis duce cum magnis copiis relicto, Zebidum repetiit. Vicesimo tertio mensis Almoharrami anni 889 pars urbis Zebidi igne vastata fuit. Et hoc anno et initio sequentis stella de coelo delapsa est, ab oriente ad occidentem vergens, quo facto magnus terræ motus secutus est isque altera vice tam vehemens, ut aedium tecta vacillarent et incolae metuentes ab iis aufugerent. Mense Rebia altera Scheichus Ahmedes b. Abilgaits b. Hafis, qui Taazi captivus retinebatur, obiit, et mense Redjebo Scheichus Bahirus b. Muhammed b. Wahban in urbe sua Scherebo decessit. Rex filio suo Djemaloddino m. Scha'bano convivium nuptiale magnificum maximo cum splendore paravit, quo die et militibus tum magnis epulis tum mul-

tis muneribus gratificatus est, nummos spargens*), vestimenta distribuens, idque Taazi fiebat. Decimo sexto eiusdem mensis Abdollahus b. Muhammed Alhabi, Fakihus templi Alaschair, mortuus est, cuius munus dein Fakihus Abdollahus b. Ahmed Alakbali initio Ramadhani excepit. Die vicesimo sexto Ramadhani Scherifus Assalih Takjoddinus Omarus b. Abdorrahman Ba'klewita, princeps Alhamrae, Taazi mortuus est, in cuius sepulcro, regis iussu, magnum sacellum exstructum est. Hoc porro mense Almalicus Almensurus tractum Dsemariticum vi cepit, expulso filio Alscherifi.

Anno 890. urbs Zebid et regiones vicinae terræ motu affligebantur, cuius vis in ipsa Zebido maxima fuit; nam ne mercatores quidem, in foro degentes, remanere ibi ausi sunt et, quam maxima potuerunt properatione, omnibus mercibus, ut erant, relictis, fugae se mandarunt. In aedibus magnum tectorum, quæ in homines irruere minabantur, tremorem sentiebant et qui aliunde Zebidum pervenerunt, idem in reliquis regionibus accidisse nuntiarunt. — Emirus celeberrimus Alioddinus Sulaimanus b. Djajjasch Assunbuli, fortitudine, probitate et pietate excellens, vicessimo mensis Ramadhani Zebidi obiit, et die octavo Schawwali Djemaloddinus Muhammedes b. Almelik Almensur Taazi decessit, cuius mors patrem Mensurum magna tristitia affecit, cum ille præcipuis virtutibus excelleret. — Die decimo quarto eiusdem

*) Solebant Arabes, omnesque Orientis reges et principes in nuptiis nummos inter plebem spargere. Hace enim consuetudo a multis scriptoribus memoratur conf. Locmani fabul. etc. p. 53 ed. Freytagii.

mensis Selahoddinus Amerus b. Abdolwahhab cum duobus fratruelibus Muhammede b. Daüd et Abdolmeliko in Zeidianos excurrit, cum pars eorum rebellaverit, eosque obsidione tam ursit, ut necessitate coacti et obedientiam sponderent, et centum et triginta equis, quadraginta camelis pretiosis, quadraginta millibus Denariorum datis, pacem redimerent, qua quidem pace iis præscriptum est, ut in posterum trans Beitelfakihum ben Hoscheiber non excederent, colentes vicos antiquos Alhenti (الحنت). Die vicessimo secundo huius m. Alfadhlus b. Ali Dagschar, qui tempore imperii Almudjahidi magna potentia gavisus regnante autem Mensuro auctoritate destitutus erat, Zebidi obiit, atque die vicesimo nono mensis Rabiæ prioris anni insequentis (891) Imamus perdoctus Afifoddinus Abdollahus b. Omar Dju'man in loco Beit Alfakih ben-Adjil vita excessit. Mense Rabia posteriori Almalicus Almensur templum Alaschair dictum in urbe Zebid restaurandum curavit, quum iam in eo esset, ut corrueret. Octavo mensis Djumadae prioris iudex Djemaloddinus Muhammedes ben-Abd-Alkadir Annascheri, administrator iuris publici in portu Hodeidae, subito defunctus est. Huius quidem vicem filius Abdollahus excepit. Interim Scheichus Ibrahimus b. Amer, ira contra fratruelem, Almelik Almensurum, percitus, consilium eum aggrediendi cepit, et Hobeischum profectus est. Dux Muhammedes Alhafzi (i. e. e stirpe Banu-Hafis) eum cepit et captivum ad Almalicum Almensur misit. Hic vero fratri Jusufo in arce Roda Alarsch custodiendum tradidit, neque ille usque ad auctoris tempus hanc custodiam effugit Cum hoc anno Emirus Muhammedes b. Wahban

dux tractus Zeidianorum, Arabes in eas regiones proficiscens, magnis vectigalibus impositis, valde opprimeret, Zalitae et Samitae *) coniuratione coniuncti illum, Muro ad tractum Zeidianorum proficiscentem, de improviso invaserunt et cum parte exercitus tertio mensis Scha'bani ceciderunt. — His cognitis rex Almensurus, qui tunc temporis Roda-Alarschi erat, Emirum Aschschodjaum Omarum b. Abdolaziz, magno exercitu, ut Zeidianos aggrederetur, misit, ipse Zebidum contendit. Omarus Murum pervectus, incolis in deditionem acceptis, tributa Waithatis (الواعظات), Samitis, Za'litis et Zeïdianis imperavit, quae dein ad Mensurum Zebidum misit. — Multi Scheichi et Emiri hoc quoque anno mortui sunt, inter quos numerandi Scheichus Schehaboddinus Ahmedes b. Thalhah Alhattar, notus nomine Almuhjadjib, die decimo sexto Ramadhani, Fakihus Djemaloddinus ben Abilhaddad, princeps oppidi Dsera, vicesimo Schawwali, Scheicholislamus summus iudex in urbe Mecca, Burhânoddinus Ibrahimus b. Ali b. Dhahirah Almechsumi Aschschafer quinto Dsulka'dae, cuius vicem filius Djemaloddinus Alsaüd excepit. — Cum rex Almensurus in urbem Hubalam se contulisset, Emirus Schodjaoddinus Omarus b. Abdilaziz Alhabischi in tractu Syriaco versabatur et in urbe Beitelfakih b. Hoschaibar duos reliquerat exactores, Aldjemalum b. Muhammed Abulfath Alahmar et

---

*) الزعليون et الصميون, sed posterior vox sub ى puntis diacriticis caret. De omnibus his sive sectis sive tribubus Arabicis in iis, quos inspicere mihi licuit libris, nil inveni. Videntur eae sectae ad Zeidianos ipsos pertinuisse, aut cum iis foedere iunctae fuisse

Fakihum Abulkasimum b. Ali Radjih; qui quum magna iniustitia et violentia populum premerent, quidam ex gente Benu Anik adorti sunt eos et fœde trucidarunt die decimo Rebiae alterius anni 892. Quo cognito Almensurus, qui Taazi erat, Zebidum profectus est, et Zeidiani huius rei certiores facti una cum Abulkasimo Aschscherebani *) in Emirum Omarum b. Abdolaziz duodecimo die mensis Djumadae posterioris impetum fecerunt. Fuit hic in urbe Aldjarabîh; cum exercitus eius exiguus esset numero, facili negotio ab illis victus in tractum Za'litarum confugit ibique adventum regis exspectavit, de quo mox exponetur. Rex, ubi fratrem Abdolmelikum b. Daüd, qui fine Djumadae prioris Djobani mortuus erat, rite sepeliendum curaverat, pervalidum exercitum sexto Djumadae posterioris contra Zeidianos adduxit, atque, his sine pugna fugientibus, agrisque direptis et igne combustis, primo mensis Redjebi Zebidum rediit. Sexto vero Taazum et inde Adenum se contulit, et inde Taazum redux, mox cum familia ad aedes, ab ipso Djobani exstructas, quae plus trecentis conclavibus comprehendere dictae sunt, se contulit. Mense Scha'bano inter vicos Madab et Chatab, ad tractum Djazani pertinentes, magnus turbo, ignem in fronte gerens, exstitit, ignis massa in aedes altiores decidit, qua multi homines perditi, atque mulier adeo quaedam, procellae vehementia abrepta, lacerata decidit, et circiter viginti quatuor diversis modis periere. Dein turbo ad orientem vertitur multosque capreolos atque iumenta comburit. Eodem

---

*) Vox الشربانى signo diacritico sub littera ب caret.

porro anno mare ad litus Abinicum e regione vici Labahi *) piscem longitudine viginti novem, vel, ut alii volunt, triginta trium ulnarum, Anbar dictum, exspuit; corpus eius magnam navem aequavit, latitudo frontis septem ulnas, deficiente dimidio, comprehendit, oculi orbita fuit tanta, ut homo in ea considere posset **).

Festo Alfithr (ieiunii solutione) mense Dsulka'da mortua est Alharrah, mater regis Aldhafiri Amiri ben-Abd-Alwahhab. Eodem mense Adeni magna pluviae copia, insequente vehementi procella, decidit; ventus duas naves in portu sitas perculit et die decimo tertio multae naves in mari inter Hodeidum et Kamranum periere. Omnino hic annus multis navibus immersis insignis fuit. Hoc ipso anno Scheichus Ahmedes b. Muhammed b. Daüd cum exercitu magno Zebidum, ut eius imperium exerceret, a patruo suo missus est. Inde hic copias Emiro Omaro b. Abdilaziz auxilio misit contra Zeidianos, ipse usque ad m. Muharramum a. 893 Zebidi permansit. Medio mensis Rebiae prioris anni 893 Mensurus cum valido exercitu Zebidum contendit, curam legatorum et gymnasiorum urbis et ditionis eius in Schehabum Ahmedem b. Abdolkadir contulit, sub imperio Scheicholislam Wadjihoddini Annascheritae. Paulo postea cum filio Zelahoddino aliis-

*) Difficillimae lectu erant voces in codice et praecipue vox لحبة, quae et puncto diacritico sub littera ب carebat. Lege بساحل ابين بحذا قرية لحبة. Sed de vice Lahbah nihil mihi notum.

**) Res similis narratur in Hamakeri narratione Takjoddini Ahmedis Ahmakrizii p. 9, 10. in qua vertenda vir doctissimus erravit.

que nonnullis principibus in tractum Syriacum profectus Zeidianos aggressus est eosque coëgit, ut pretio dato pacem sibi redimerent. His expeditis rex contra gentem Alrumat et Lasitas*) aliosque Arabes profectus est, quibus multitudinem equorum eripuit, dein sexto mensis Djumadae prioris Zebidum revertit, atque inter urbis incolas multa et eximia dona distribuit. Simul Fakihum Isaum b. Muhammed Annascheri vicesimo quinto eiusdem mensis urbi Hoiso præfecit, remoto a praefectura Fakiho Albahilo Ahmede certa de causa; sed mense Schabano hunc in munus restituit. Die nono Rebiae alterius Scheichus perdoctus Zeinoddinus Ahmedes b. Ahmed b. Abdollathif Assaráhi Alhanefi obiit, et decimo Djumadae alterius Fakihus et Imamus Muhjioddinus Jahja Ibn Ali Bekr Alameri in urbe sua Harradho decessit, porro vicesimo sexto Ramadhani in urbe Zebido iudex Hanefiticus perdoctus Rahioddinus Assadik b. Ali Aththajjib. Undecimo mensis Dsulkadae in oppidis Aden et Schahr aliisque regionibus denuo magna sæviebat tempestas, qua in portu Adeni tredecim naves periere, urbs Zebid quoque incendio vastabatur. Medio mensis Moharrami anni 894 Selahoddinus Amerus b. Abdolwahhab cum patruele suo principe Ahmede ben-Mohammed ben-Daüd Zebidum ingressus, exercitum duce Emiro Muhammede b. Isa Alba'dani contra Zeidianos die decimo octavo ejusdem mensis misit, qui illic usque ad ultimum mensis Zafari commoratus, cum multis equis a Zeidianis

*) الرماة واللاصيبين. De رماة vid. ind. geogr. De Lasitis nihil inveni; vox signo etiam notata est.

tributi loco datis magnifice Zebidum rediit, comitibus principibus nonnullis Arabum, in quos Selahoddinns dona honorifica contulit. Omnino ille hoc anno admodum largum et beneficum se præbuit; et sic quoque filios Ahmedis b. Abilgaits b. Hafis e captivitate dimissos donis affecit. Jussu eius Emiri et iudices templa et gymnasia urbis Zebidi, vetustate imminuta, refecerunt. His omnibus factis Selahoddinus Taazum sexto mensis Rabiae prioris se contulit et inde patrem, Djobani degentem, adiit; is vero paulo post morbo mortali arreptus in hac ipsa urbe exspiravit die septimo Djumadae prioris. Aedificia in honorem religionis ab eo exstructa erant innumerabilia.

CAPUT DECIMUM.

Imperium regis Ameri b. Abdolwahhab b. Daüd b. Thaher.

Mortuo Almensuro gentes convenere, ut filium eius fortem, Almelik Adhdhafir Selahoddinum Amerum b. Abdolwahhab b. Thaher successorem constituerent. Rerum status tunc temporis a magnis contentionibus ad quietem redierat. Rex, imperio gerendo imprimis dignus, ubi primum inaugurationem rite acceperat, rebus in urbe ipsius, Djobano, bene compositis, post trium dierum spatium Makaranam se contulit et avunculo Abdollaho b. Amer regiones orientales assignavit. Mox cum propter multitudinem eorum, quos secum habebat, alimenta in urbe deficerent, Taazum profectus est, ubi nuntium accepit, avunculos ipsius, Abdollahum, Muhammedem et Oma-

rum, pacto violato, cum copiis ex oppidis Jafaa, Djubano aliisque collectis, arcem Djubani invasisse, eaque expugnata palatium regium, ab Almensuro permagnifice exstructum, ut ante retulimus, diripuisse, reliquarum aedium multas igne cremasse. His de rebus admodum iratus magnis copiis contractis, quae viginti millium numerum excederent, vicesimo secundo eiusdem mensis iter in eos contendit, eosque die vicesimo sexto in arce illa obsedit. Ubi primum advenerat, statim Omarus b. Muhammed se ei subiecerat. Quo cognito Scheichus Muhammedes b. Amer aedes eius destrui et uxores affligi iussit, magnamque librorum multitudinem praedam abstulit. Scheichus Abdollahus autem effugit ad Hubal Harir, indeque Jafaam; hic vero obsidione clausus est, qua magnus asseclarum eius numerus occisus, ipsius fratris filius in captivitatem redactus, opes direptae sunt. Haec omnia m. Djumada priori facta sunt. Rex deinde, omnibus incolis Jafaae, qui Adeni forte versabantur, inde propulsis (numero fere erant quingenti) illis, qui in arce Djubani adhuc erant, pacem concessit hac conditione, ut quotannis ex opibus Adeni quadraginta millia denariorum, dum Hubalam Harir et Schoaibam eorum imperia traderet, solverent. Haec pax composita est per principem Omarum b. Abdolaziz Alhabîschi mense Redjebo. Vicesimo tertio mensis Schabani iurisconsultus Abdollahus b. Abi Bekr, Imamus templi Alaschair, mortuus est, et frater eius Ahmedes hoc munus pro filiis Abdollahi administravit. — Cum interea rex primum Makaranam, inde Rodam Alarsch adiisset, ut rerum statum ibi inspiceret, relatum est, avunculos eius denuo, pace et foedere fracto, res novas moliri.

Nam Scheichus Muhammedes b. Amer de improviso cum Almuntasiro Alarabi et filio principis Marhiti (مرعيت) die tertio Ramadhani fraudulenter Taazum irrupit, cum pars incolarum urbem ei occupare permitteret. Fuit illic tunc temporis Scheichus perdoctus Schemsoddinus Jusufus Almukri b. Junus Alhatâi; is, ieiunio soluto, imperavit hominibus bellum, unde factum est, ut omnes, qui perfide non egissent, ad arma concurrerent, et filium principis Marhiti cum sociorum parte occiderent, reliquos, metu perterritos, in fugam coniicerent. Emirus Omarus b. Abdolaziz, qui tunc temporis ibi versabatur, urbe quippe non pugnaturus exierat; quam ob causam, quum postea dolose ageret, vicesimo mensis Ramadhani in vincula coniectus est.

Dum rex in urbe Roda Alarsch commoratur, Alkadi Abdalalamus b. Abi Albarîki, iudex oppidi Ab, missus ab incolis Ba'dani, ad eum pervenit, referens, regiones, maxime turbatas, a nullo sedatum iri, nisi auxilio ille venerit. Itaque rex, suscepto itinere, Abbam, antea tamen in ipsa via tractum genti Benu Seif proprium adortus et proelio facto castello potitus, incolis partim trucidatis, partim captis, tandem die undecimo Ramadhani Abbam ingressus est; inde medio mensis ad urbem Sahban advectus contra avunculum Muhammedem et contra Almuntasirum Alarabi Alnadjd Alahmar e latere loci grave certamen init; unde gloriosam reportat victoriam. Quaecunque ex opibus et divitiis eorum in praedam cesserunt, cuiusvis libidini permittit, innumeram exercitus partem trucidat, quingentos et quadraginta captivos facit. Accidit haec clades die decimo nono Ramadhani. — Memorare iuvat, re-

gem Addhafirum, cum pater eius moreretur, Adeno avunculi filium Scheichum Muhammedem b. Abdolmelik praeposuisse; iam Abdolbakius b. Muhammed b. Thaher, qui a partibus Scheichi Abdollahi b. Amer steterat, die decimo Ramadhani, quum oppido Lohadjo potitus esset, Adenum sibi vindicaturus accessit. Scheichus Muhammedes cum exercitu coacto ei obviam ivit et proelio commisso ad Hubal Hadid plane eum devicit, omnibus eius opibus potitus exercitum valde afflixit et paene quadringentos captivos fecit, ita ut ille solus, sed non nisi manu fracta effugeret. Die octavo Schawwali exercitus Adhdhafiri Zebido profectus incolas Turaibae, Koraischitas et gentem Almaazibah, in vico Marra, qui ad oppidum Rima pertinet, degentem, invasit, plures quam viginti hominem occidit, quorum capita detruncata Zebidum die pugnae pertulit. Paucis diebus postea, die duodecimo eiusdem m., Zebidi magna conflata est seditio, cuius causa haec fuit. Ahmedes b. Muhammed. Almokarthes, Scheichus aedis Adhdharb et praefectus regii thesauri, partem exercitus Zebidi versantis in partes suas traxerat ad interficiendum Emirum Muhammedem b. Isa Alba'dani. Qui quum maritus sororis ipsius esset, Scheicho Ahmedi quolibet tempore adire eum licuit. Hinc tempore matutino eum, cui unus tantum aderat servus, aggressus, duobus, quae secum duxerat, mancipiis nutu, ut eum occiderent, imperavit. Muhammedes ubi hoc animadvertit, servum illum accedere et Almokarthasum interficere iubet. Is dicto audiens gladio brachium eius amputat; tum vero Almokarthasus effugit et quemque in domo obvium auro proiecto retinens liber evadit. Duo autem, quos se-

cum duxerat, servi trucidantur. Ipse ad meridiem usque in aede Adhdharb se abdidit, inde vero in aedes Scheichi Ahsani b. Abilabbás Alhatar confugiens in ipso itinere a viro quodam obvio interficitur, vestimentisque spoliatur. Seditio dein pacatur, pars eorum, qui cum Almokarthaso fecerant, capiuntur, alii profugantur. Emirus autem ne tum quidem militibus suis fidem habens, tota re Sultano nuntiata, exercitum auxiliarem ab eo petit. Idem a præfecto Misbahi, Fakiho Djemaloddino Muhammede b. Jahja Aldjahami petit. Ab hoc igitur petiit, ut ex incolis Usab copias ei auxilio mitteret. Adduxit igitur quingentos et in urbe per dimidium mensis permansit, donec copiae, a Sultano in subsidium missae, advenerint. Emirus dein complures adhuc viros, qui seditionis participes fuerant, poena affecit, tum urbem imperturbatam administravit, donec rex eum Taazum mense Dsul-Hidjdjah arcesseret eiusque loco Scheichum Abdolbakium Mekredum b. Omar Alfehlemi *) praefectum Zebidi constitueret. Cum hic in hac seditione a iurisconsulto Ahmede b. Abdollah Alokaili fraudem suspicaretur, regem instigavit, ut eius domus agrosque occuparet. Ipsa haec gens timore inducta in varias regiones se dispersit. — Hoc anno mortui sunt: fine Schawwali Alwadjihus b. Muhammed b. Akbal, et decimo octavo Dsulhidjdjae Scheichus Assalih Djemaloddinus Mnhammedes b. Alma'ruf Alakami, vicesimo septimo eiusdem mensis Wadjihoddinus Abdorrahmanus b. Aththajjib Annascheri, quem nemo in munere est secutus.

---

*) Desunt puncta diacritica in pluribus huius nominis vocibus.

Emirus Muhammedes b. Isa Alba'dani, qui iussu regis Adhdhafiri Adenum se contulerat, quo ipse rex profectus erat, ibi paululum commoratus a. 895. initio mensis Safari obiit. Paulo post adventum Adeni rex accepit nuntium, Abdollahum avunculum denuo res novas moliri, sed paulo post eum a seditione rursus recessisse nuntiatum est, qua de re rex admodum gavisus est. Die vicesimo sexto eiusdem m. Fakihus Abdollahus b. Ahmed Alokaili decessit. — Primordio huius anni multa rursus certamina inter regem eiusque avunculos exarserunt, quorum enarratio cum nimis longa *) foret, est omittenda. Hoc unum memoremus prœlium, quod rex cum avunculo Abdollaho in loco Annamsah nuncupato **) commisit, quo rex gloriosam victoriam reportavit, ita ut avunculus ille solus vitam conservaret. Eos ex avunculis, qui in arce Djubani degebant, obsidione cinxit magnumque militum numerum occidit. Dum haec gerebantur asseclae Scheichi Abdollahi Emirum Schaddadum b. Muhammed Alanasi in loco Arribâijjatain dicto, non procul a Djubano sito, interfecerunt, initio Rebiae alterius. Hunc in locum quoque ex Djubano avunculus regis princeps Abdollahus ben-Amer et patruelis princeps Abd-Albaki ben-Muhammed ben-Thahir cum gente et opibus confugerant, inde in exstrema regis castra ad Djubanum irrumpentes; huc enim qui accessit, securus erat et vitæ et opum conservandarum. Hanc ob rem rex, ex variis tribubus in castris militibus electis, ad locum

*) Sunt verba auctoris.

**) في موضع يقال له النمصة. — Vox haud distincte scripta est in codice et desunt signa diacritica.

illum contendit, quemque adversarium occidere, sed praedando abstinere iussit; ita magna cum gloria eos devicit, multis interfectis, ipsis Scheichis in fugam coniectis. Rex dein quum in castra ad Djubanum reversus esset et homines locum plane essent depraedati, totas spolias eorum afferri iubet, quaecunque nomine Benu Thaher insignita erant, sibi retinet, reliqua possessoribus restituenda curat. Dein arce Djubani potitus hac conditione proposita, ut quisque incolumis ex oppido egrederetur, neque, ex hoc pacto, ullum violavit, excepta una Alharrah, matre Jusufi b. Amer, utpote quae causa totius seditionis fuisse diceretur. Cepit autem hanc arcem die vicesimo nono Djumadae prioris anni 895, postquam secunda hac vice septuaginta quinque dies eam obsederat. Ab hoc inde tempore avunculi regis nihil, quod insigne esset, contra regem perficere potuerunt. Animadvertere iuvat, die decimo quarto Rebiae prioris Imamum templi Alaschairi, Fakihum Ismailum b. Muhammed b. Nasir, et vicesimo nono Djumadae prioris Fakihum Seradjoddinum Abdollathifum b. Muhammed Zeinoddinum Almesrehi Alhanefi obiisse. — Eo tempore, quo rex Adhdhafirus certamina, quae retulimus, cum avunculis suis in regione montana (Djibal) gessit, Arabes populabundi in Tehama grassantes vias infestas reddiderunt, opes depraedati sunt, vicos diripuere. His cognitis rex patruelem, Scheichum Djemaloddinum Muhammedem b. Abdolmelik b. Daüd cum exercitu valido in Tehamam misit, qui tertio mensis Scha'bani Zebidum ingressus, sexto eiusdem ad Nachlum Medinensem contendit, et, fructibus huius pagi collectis, primum duodecimo ad vicum Belad Alaschair,

dein Beitelfakih b. Adjil adiit. Hic in oriente eius *) aliquantulum in vico Alkaddahah commoratus gentem Almaazibah afflixit. Jam pars ex gente Almaazibah in vicos circum Zebidum excurrit, sperans fore, ut regem hac ratione ab illa regione abstraheret; at res voto non respondit. Dum haec geruntur, praefectus oppidi Beitelfakih b. Adjil, nomine Ismailus b. Addimluww loco Zebido Beitelfakihum contendit et a caterva e gente Almaazibah, quæ duce Ben-Alkani (pnncta diacritica desunt) ei obviam veniebat, obtruncatur fine mensis Scha'bani. Scheichus Muhammedes autem obsidione illos pressit, quam tamdiu continuavit, donec mercede statuta pacem redimerent. His impetratis Muhammedes regionem Allamijjah et Beitelfakih **) intravit et vallibus duabus inter Surdudi et Muri tributa imperavit, tum victor Zebidum secundo mensis Schawwali reversus est. Inde contra gentem Almaazibah expeditionem suscepit, quadraginta eorum occidit et cum ipsis occisorum capitibus iam die pugnae Zebidum rediit. Ibi usque ad secundum Dsulkadae commoratus, Taazum et inde Djabanum perrexit, rex enim e carmine ab Albadro Alzebahi composito

*) فاقام شرقيها بقرية الكدحة, in quo hoc offendit, quod teste Niebuhrio urbs Kaddahah non ab oriente, sed a meridie Beitelfakihi est sita. Sed cod. p. 55, 16. diserte dictum est: فقرية الكدحة شرق بيت الفقيه cf. etiam indic. geogr.

**) Plures sunt loci Beitelfakih cognominibus additis distincti, ut Beitelfakih ben Hoschaiber et Beitelfakih ben-Adjil. Quisnam eorum intelligendus sit, nescio, quum cognomen male scriptum legi non possit: Caeterum litterarum obscura signa priori magis convenire videntur.

et huius loci pulcrum statum depingente, eum advocaverat. Mense Ramadhano rex Adenum profectus ibi festum ieiunii solvendi celebravit et naves in Indiam expedivit. Tum in oppidum suum mense Schawwalo rediit. — Die decimo Scha'bani Scheichus Afifoddinus Abdollahus ben Ibrahim Zebidi obiit. Mensis Dsulka'dae die decimo septimo Adhdhafirus ad urbem Rodam Alarsch profectus, magnas undique copias contraxit et cum his expeditionem vicesimo septimo contra Dsemarum iniit, cui tunc temporis Scherifus Muhammedes b. Ali Alwaschali præerat. Turba incolarum ex urbe, a rege obsessa, erupit, sed proelio conserto ab exercitu regis profligata est. Rex dein per unam, quam diruerant milites, portam in urbem irrupit, atque urbe capta omnia bene disposuit, mox incolis, quam petierunt, pacem concessit, hac tamen lata conditione, ut, quae denuo ædificassent moenia, destruerent, id quod festinanter est factum. Rex hac victoria reportata in oppidum suum rediit, tum Taazum et inde octavo mensis Zafari Zebidum profectus est. Duodecimo Safari a. 896 in regiones Syriacas contendit. Ingressus tractum Zeidianorum catervam e Benu Hafis et Zeidianis, quae ad ipsum accesserat, ob facinora ab iis perpetrata cepit et vinctam Zebidum misit. Quo facto inde ab urbe Beitelfakih b. Adjil contra gentem Almaazibah contendit et magna parte eorum trucidata, vicis accensis, victor Zebidum revertit. Tum Zebidi commorabatur, ad portam Alschabarik palatium nomine Dar-Assela notum ædificare iussit et Taazum mense Djumada priori proficiscens, urbi Schodjaoddinum Abdolbaki Mekred b. Omar Alfehlemi praefecit, qui et ipse complura contra gentem

Almaazibah certamina suscepit, et initio parvis tantum proeliis singulis eorum occisis, die vero sexto Scha'bani magno proelio conserto eos fugavit et circiter quinquaginta occidit. Jam vero hostes copiis iterum collectis in Emirum sociis destitutum irruperunt, qui, postquam aliquantulum restiterat, denique eo se recepit, quo socios adfuturos speravit; sed non aderant, itaque ab hostibus circumdatus corripitur et trucidatur, plures quam sexaginta suorum interficiuntur. Qui reliqui erant ab exercitu Zebidum redeunt. Die nono eiusdem m. tota paene urbs Beitelfakih b. Adjil flammis absumta est. Cum dein Kahritae *) accepissent nuntium, Zeidianos cum magnis copiis contra ipsos tendere, regiones suas eis vacuas reliquerunt, dein magna vi hostes in regione arenosa adorti sunt et dissiparunt, ita quidem ut cum aquae inopia, tum gladio magnus hostium numerus, qui mille paene homines fuisse fertur, periret. Factum hoc est die duodecimo eiusdem mensis. Qui Zebidi degebat exercitus, duce egens, a rege Scheicho Abdolmeliko Ibn Almelik Almensur Abdolwahhab, fratri eius, traditus est; is dein cum praefecto Aldjubani et centum equitibus quarto Ramadhani Zebidum profectus est. Hinc Emirus ille cum exercitu ad Beitelfakih b. Adjil se contulit et Arabes, qui huc venerant et multos equos tributi loco dederant, in deditionem accepit. Rex Adhdhafirus autem sub arce Althsafr **) castra posuerat, et omnes has regiones sibi subiecerat, tum ad locum Alzafra perrexit et ibi

---

*) القكرى qui fuerint nescio.

**) الظفر voci vero puncta diacritica desunt.

nonnullos dies subsistens arcem Tsemad vi capit. Inde ad arcem Amkaban, quam avunculus eius Muhammedes b. Amer obtinuit, castra movit, eamque aliquot dies obsidione clausit, avunculum cepit, neque hanc solum arcem primo mensis Dsulhidjdjae, sed omnes reliquas, quae in avunculorum potestate erant, subegit, exceptis duabus, Assakah et Alahkara *). Hoc fere tempore ab imperatore Aegypti Chalifâ Almutawaccil ala Allah Issoddinus etc. diploma honorificum, vestes pretiosae, gladius, annulus signatorius et flabellum per legatum Schehabum Ahmedem b. Kaisar dono missa sunt, et rex invicem eximia ei misit munera. — Cum Abdolmelikus Zebidum administraret, Emirus Schehaboddinus Ahmedes b. Ismail Assunbuli expeditionem contra servos Lamiticos suscepit, qua et ipse et pars exercitus eius interiit. Interim rex Adhdhafirus avunculum Muhammedem b. Amer in urbe Djehaf captum ad eius fratres in carcere in arce Roda Alarsch custodiendum misit, qui hoc ipso tempore custodiam nondum effugit.

Prima anni 897 nocte Alfakir Assalik Scherfoddinus Abulkasimus, filius Imami Burhânoddini Ibrahimi b. Abilkasim b. Dja'man in urbe Beitelfakih b. Adjil mortuus est, et mense Safaro huius pater obiit, qua de re Moslemi magna tristitia affecti sunt. Die vicesimo nono Rebiæ alterius Kadi perdoctus Schehaboddinus Ahmedes b. Abilkasim Albahli, iudex urbis Hais, exspira-

*) الساقة والعقارى vid. indic. geogr. Castellum Jemanense, cui nomen est العقار in Camuso adducitur. Desunt in utraque voce signa diacritica. Tertio loco المعفارى scripta est vox.

vit, atque in eius locum suffectus est Abdolafar frater eius germanus. M. Djumada priori Almelik Adhdhafir arcem Assakahi vi cepit. Scheichus Abdolmelik, frater regis, urbi Zebido ante praepositus, res bene administravit, donec, mense Rabia altero arcessitus a fratre Taazum adiret, indeque cum rege ipso Zebidum reversus medio mensis Redjebi, decimo octavo autem contra gentem Almaazibah proficisceretur. Dum hæc geruntur, Fakihus Muhammedes b. Ahmed Zebidi obiit die decimo Ramadhani. Mox Adhdhafirus principem Maüdham b. Hajan cum exercitu ad Nachlum Medinensem misit, ut fructus carperet, quod ille una cum Kadi Scherfoddino decimo septimo Schabani exsecutus est. Interea rex ipse, in urbe Kaddahah degens, gentem Almaazibah in loco Dsahab Addiman nuncupato, ab oriente fluvii Rima sito, obsidione cinxit, et ducibus liberisque eorum occisis, ceteris cum inopia tum caede confectis, commiseratione ductus petentibus pacem concessit, ea conditione, ut omnes, quos secum haberent, equos circiter quadraginta traderent. Hac victoria reportata vicesimo sexto Schabani Zebidum contendit, indeque medio Ramadhano Taazum proficiscens Zebido Scheichum Thaherum b. Scherif praeposuit, qui leniter miteque cum incolis egit. Priusquam vero rex abiit, templum magnum urbis destrui, et rursus aedificari iussit initio Scha'bani. Scheichus Abdollahi b. Muhammed b. Thaher a loco, quem dicebant Ain Ma Ma'bad, prope urbem Mifaat sito*)

*) عين ماء معبد i. e. fons aquae adorationis. ميفعة est nomen loci mihi ignotae. De tractu Barirae بسريرة (desunt signa diacritica) vid. ind. geogr.

ad tractum Berirah se convertit, qua re comperta, rex Adhdhafirus per litteras Ibn Saadeddinum Almudjahidum illum apud se retinere iubet. Almudjahidus igitur mittit, qui eum captum adducat tertio Scha'bani. Cum paululum ibi retineretur, exercitus advenit hostilis, contra quem quum magna cum fortitudine pugnaret, Almudjahidus benigne ei concessit libere discedere, quo impetrato Abdolbakius Jafaam se convertit ibique permansit. — Mense Dsulhidjdjah Zebid magna annonae caritate laboravit. Ultimo huius anni die tempore matutino mulier quaedam interfecta de muro speculae dependens inventa est, cuius criminis cum Benu Ikbal eorumque propinqui accusarentur, princeps Ben Alwadjih Ikbal, ut ab hac accusatione eos liberaret, regem, obsidione urbis Beidhahisae occupatum, adiit; ac quamquam ipse eodem hoc loco mortem obiret, anno 898, rex tamen per epistolam gentem Ikbalitarum crimine solutam libere dimitti iussit. Die XVII. Rebiae prioris anni 898 rex arcem Alakkara*) inexpugnabilem dictam, suae ditionis fecit, idque factum est, postquam magna pars gentis Jafi inde egressi erant, impetum facturi in castra regia. Rex, tunc temporis obsidione Beidhahisae occupatus, partem exercitus contra eos misit; cum hi in hostes inciderent, manus conseruere centum eorum totidemque interfecerunt et ceperunt. Arx autem regis ditioni subiecta est per Scheichum Afifoddinum Abdollahum b. Almelik Almensur, et Fakihum Djemaloddinum Muhammedem b. Muhammed Annaththari. Arx

*) Conf. paulo ante adnotationem de hoc loco.

oppidi Beidhahisae, quam diximus regem obsidere, nota cognomine سمر جناح *), et ipsa inexpugnabilis dicta, vi capta est die decimo Rebiae alterius, posteaquam ipse et patruelis eius princeps Djemaloddinus Muhammedes ben-Abd-Almalic eam a die vicesimo mensis Dsulhidjdjae magnis cum copiis obsederat, et oppidum arcemque machinis bellicis vastaverat, quo facto regionibus orientalibus facultas seditionis contra regem movendae sublata est. Cum incolae arcium Muflihah, Alkeleb et Roda Alkaramil nuntium, eum arcem Albaidha expugnasse, accepissent, arces suas sponte tradiderunt. — Initio huius anni seditio exorta est inter tribus Koraischitas, Benu Abcar, qui Alkoraischijjah habitabant, et Benu Ali, qui Ruviam incolebant, neque destiterunt caede invicem se affligere, donec Scheichus Ibrahimus b. Ahmed Alhajjil Alkoraschi, princeps Alitarum, ex Hubalo a rege adveniret. Hoc duce Benu Ali quarto Djumadae prioris vicum Koraischijjah ingressi nonnullos ex Abcaritis occidunt, tum vero Benu Abcar undique in Alitas irrumpentes vehementer eos profligant et usque ad Tuheitam et Wadi Chalab insequuntur. In hac seditione multi Koraischitarum occisi sunt, praecipue illi ex Alitis et Benu' Abdollahi Ala'lijjun **), triginta homines praeterea ex incolis Musallibi et Tuheitae. Sed nondum ad tranquillitatem compositi erant animi; nam die decimo sexto Djumadae alterius Koraischitae incolae vici Alruwiae ex Benu Ali eorumque socii, Schakaribi et Misritæ (de-

*) Voces سمر جناح desiderant signa diacritica.
**) من بنى عبد الله الاعلبيين.

sunt puncta diacritica) denuo impetum fecerunt in Abcaritas, versantes in urbe Koraischijjah. Proelio commisso in Wadi Adja primum pauci ex Abcaritis occisi, tum vero, his ab omnibus partibus irruentibus, Alitae cum sociis in fugam coniecti et magna caede prostrati sunt. Dein seditionis flamma exstincta videbatur. — Emirus Schadjaoddinus Omarus b. Abdolaziz Alhabischi, quem supra in vincula coniectum narravimus, die vicesimo sexto huius mensis libere dimissus et beneficiis a rege affectus est. Die nono Scha'bani Emirus Schemsoddinus Alius b. Muhammed b. Isa Alba'dani Zebidum contendit, et inde excursionem in Nachlum Medinensem fecit, eiusque fructus omnes succidit. Die decimo nono huius m. Mufti perdoctus urbis Taazi, Badroddinus Hasanus b. Abdorrahman Assabahi *), poëta maxime insignis, Imamusque magnae doctrinae, mortuus est. Die tertio Dsulka'dae princeps Dermuschi Abdollahus Almensurus Abdolwahhabus in portu Hodeidæ, cuius urbis praefectus erat, a servo e gente Benu Musa interfectus est. Eodem quoque mense rex murorum Zebidi partem destructam refici et muniri iussit.

Incipiente anno 899 vicesimo nono Muharrami Fakihus Djemaloddinus Muhammedes ben Ibrahim ben Omar b. Mudhaffer Zebidi obiit, et fine mensis Safari Kadi Djemaloddinus Muhammedes b. Abdollathif Almahalebi decessit. Die tertio Rebiæ prioris Almelic Adhdhafirus, comitantibus patruele Djemaloddino Muhammede ben-Abd-Almalic, et Abd-Allaho ben-Ahmed ben-

*) Desunt signa diacritica.

Ahmir et Daüdo ben-Mohammed ben-Daüd ben-Ali ben-Tadjoddin et duobus principibus Ohmaro ben-Abd-Alasis Alhabischi et Alio ben-Muhammed Alba'dani Zebidum pervenit, sed urbem non intrans extra urbem castra posuit et inde excursionem contra gentem Almaazibah fecit, et parte eorum perdita, opibus et iumentis in prædam acceptis, Zebidum revertit die quarto m. eiusdem, ibique usque ad diem decimum commoratus in regiones Syriacas contendit. Medio mensis Rebiæ prioris Fakihus Isa b. Muhammed Annascheri, Kadi urbis Lahadj, Zebidi exspiravit. Mense Rebia altero rex Fakiho Ahmedi b. Abdollah Alokaili, quem antea omnibus suis privatum propulerat *), condonavit et restituit, quae ipse et pater amiserat, eique insuper magnas opes dedit. Rex dein a regionibus Syriacis reversus octavo Djumadae prioris Zebidum magnifice ingressus est, postquam magnam equorum, camelorum aliarumque opum praedam ab Arabibus sibi vindicaverat, et innumeram eorum multitudinem ceciderat. Hoc ipso die Arradhi Assadik Alius Alhabathus, vezirus praefecti Djazani, Scherifi Ahmedis b. Derib, mortuus est. Hic Scherifus eum cum eximiis donis et epistola blande scripta ad regem Dhafirum miserat; sed obiit ille in ipso itinere inter Beitelfakihum et Zebidum. Rex itaque magna tristitia propter mortem eius afflictus est, eumque ad portam Sehab in sepulcro familiæ eius rite sepeliendum curavit. Scherifo dein magna invicem munera misit. Die undecimo huius m. Scheichus Jahja b. Assadik ben

*) Vid. codic. p. 54.

Jahja Annabeti ex regionibus Jemanensibus ad regem captivus adductus est. Ceperat eum, iter facientem a tractu Hodeidæ Adenum, Omarus Alikd, præfectus harum regionum, prope promontorium Babelmendeb, et vinctum eum Sultano misit. Die decimo quarto eiusdem Abdolmon'imus Adhdhadjâi, iuris consultus et praedicator templi Zebidiaci ob delictum patris eius Musæ a munere remotus est, quam dignitatem rex die vicesimo deinde in Fakihum Abulkasimum ben Abdorrahman praedicatorem Hodeidae, transtulit. Die vicesimo secundo Emirus Alius b. Muhammed Alba'dani Zebido profectus fructus pagi Nachli Medinensis collegit, dein die vicesimo septimo Zebidum rediit. Scheichus Djemaloddinus Muhammedes ben Harallah Alathari quarto Djumadae alterius Zebidi defunctus et magnifice sepultus est. Quatuor principes, qui regiones nonnullas nimia vastatione afflixerant, crudelissimo poenae genere a rege affecti sunt, cum manus pedesque eorum detruncari iuberet. — Die nono eiusdem mensis rex perdoctum Schaboddinum Ahmedem ben Omar urbi Adeno administrandae praefecit, remoto ab hoc munere Fakiho Djemaloddino Muhammede ben Husein Alkammath. Eodem die templum Almubarik, quod denuo Zebidi exstruxerat, praeclaris terris ditavit, lectores Corani in eo instituit, ministros templi adhibuit, et his omnibus prospiciendis Alafifum Abdollahum Abu Husein Aschscherebi praefecit, cum Aschschehabum ab hoc munere semovisset. Die decimo Djumadae alterius rex, cum Ahmede ben Omar Taazum in via Haisi proficiscens, administrationem Zebidi principi Schemsoddino Alio ben Schodja Alasi mandat, qui bene hoc munus

exsecutus est. Scheichus Radioddinus Assadik b. Jahja Annabeti, qui in gratiam regis redierat, decimo quarto huius mensis imperium tractus Hodeidae rursus accepit. Die decimo nono Emiro et Scherifo Afifoddino Abdollaho ben Sufjan regiones Syriacae gubernandae tradebantur, qui praeclara huius tractus moderatione amorem subditorum sibi reconciliavit. Die tertio Redjebi Fakihus Kemaloddinus Musa ben Ahmed Annascheri eiusque filius Alius fulmine icti obierunt. Eodem mense die decimo quinto Scherifus Wadjihoddinus Abdorrahmanus b. Ahmed b. Omar Alalawi *), vir probus, pius et beneficus, Zebidi mortuus et sepultus est, Emirus et Scherifus Abdollahus b. Sufjan die vicesimo quinto huius m. partem exercitus sui ab urbe Beitelfakih b. Adjil contra Benu Mesud **) et gentem Almaazibah ob crimen ab illis commissum perduxit; parte illorum et occisa et capta, capita occisorum vicesimo nono Zebidum secum portavit. Mense Schawwalo die sexto Almelik Adhdhafirus complures ex arcibus gentis Aldjahadir cepit, quo pertinent: Alarschijjun, Annabilah, Addubbal, Aschereb, Dsachir, Had, Akmah ***) earumque incolis multis gratificatus est muneribus. — Cum gens Almaazibah nova per-

*) In textu est باعمر, quod pro errore habendum videtur.

**) Voces perperam scriptae et signo spuritatis affectae.

***) De arcibus الجحادر nihil notum. Voces omnes signis diacriticis carent, quam ob causam non pro certo affirmare ausim me eas recte scripsisse. In nonnullis et scriptio corrupta est. Arces دبل, شرعب (non شرعة) ذخر (non دحر) et اكمة vide in indice geographico. De الحدة, et العرسيون, quae vox corrupta est, mihi non constat.

petrare facinora non desiisset, princeps Alius b. Schodja Alanasi initio Dsulka'dae Zebido ad vicum Albadwah, qui pertinet ad Wadi Rima, inde excursionem in eos facturus, se contulit. Simul Scherifus Abdollahus ben Sufjan inde a Beitelfakiho plus una vice in eos irrupit, ita ut non pauci eorum perirent. Neque prius ambo loco cesserunt, quam pax cum Arabibus inita est, tum vero Alius b. Schodja Zebidum, indeque mense Dsulhidjdjah Beitelfakihum ben Adjil contendit, ut tributa regionum exigeret, et Scherifus Abdollahus in regiones Lamiticas se contulit. Sed paulo post Alius b. Schodja, per epistolam Sultani Zebidum advocatus, Scherifum Abdollahum sua vice constituit, qui tributa exigeret, tum dicto audiens Zebidum adiit. Atque ab hoc inde tempore Arabes hostilibus se abstinuerunt.

Initio anni 900 complures Fakihi (iurisconsulti) et Scheichi (principes) obierunt, in quibus numerandi sunt: Fakihus et Mufti Muhjioddinus Jahja b. Muhammed Assameh Annascheri decimo octavo Muharrami, Scheichus perdoctus Assalih Siradjoddinus Abdollathifus b. Musa Almuschri Adjil, vicesimo nono eiusdem. Hic annus multis templis et gymnasiis a rege Zebidi exstructis insignis est (quorum singula referre piget).

Scherifus Abdollahus b. Sufjan a rege e tractu Syriaco Zebidum arcessitus, magnis pretiosisque muneribus affectus est. Simul Emirus Alius b. Muhammed Alba'dani, eius loco in tractum Syriacum missus, Scherifo advenienti prope Beitelfakihum occurrit. Paulo deinde post rex Scherifum Abdollahum ad illum redire iussit, ita quidem, ut ambo consilio sociato res administra-

rent. Die vicesimo mensis Rebiae alterius rex, quum vicini ab aquis, quae ex lavacris gymnasii a rege Almensuro Zebidi exstructi, prodirent, noxa afficerentur, suis sumtibus pontem exstruendum curavit, praeterea templa rursus et gymnasia instaurari iussit. In palatio regio, quod denuo exstructum subito corruit, rex ipse cum ministris dormire solebat; sed tamquam divina voce commotus hoc ipso tempore, quo ædes collapsae sunt, rex egreditur et hac ratione perniciei eripitur, cum alii multi ruinis obruti perirent. Dum rex Zebidi versatur, liber Kitab Alchadim (كتاب الخادم) auctore Zerkeschio huc allatus est; rex enim Meccam miserat, qui eum emerent, illique pretio septuaginta Denariorum quatuordecim eius volumina acceperant. Quibus allatis rex doctores Zebidiacos praemiis propositis incitavit, ut sensum eorum explicare studerent, cuius rei illi die undecimo Djumadae prioris initium fecere. Die quinto Djumadae prioris in insula Berirah magna tempestas exorta est, qua sex naves in portu iacentes et multis opibus onustae, mersae sunt. Die vicesimo tertio huius mensis regi filius Tadjoddinus Abdolwahhabus natus est ex uxore, quae filia patrui eius Muhammedis b. Daüd ben Thaher fuit *). Die tertio Djumadae alterius Aschschodjaus Omarus Alakd, Zebido cum multis Arabibus campestribus in Nachlum Medinensem profectus, fructus colligere voluit; ibi Fakiho Alio b. Schodja Alanasi, Beitelfakiho venienti, occurrit, dein re perfecta nono eiusdem mensis Zebidum revertit. Die vicesimo quinto huius mensis Emirus

*) Textus hoc loco corruptus est.

Schemsoddinus Alius b. Muhammed Alba'dani et Scherifus Afifoddinus Abdollahus b. Ali Safin cum magnis opibus, equis et camelis, quos ab regionibus Syriacis tributi loco acceperant, magnifice Zebidum ingressi sunt. Scheichus Ahmedes b. Ismail Almuschri' die sexto huius mensis Zebidi mortuus est. Die decimo quinto eiusdem rex per urbem Akabam profectus Taazum contendit, magnamque erga incolas eius liberalitatem ostendit et arcem Hab restaurandam curavit. Paulo post Scheichus Scherfoddinus Kasimus ben Muhammed b. Aschscheich Abdollah b. Abdollathif Alarabi, virtutibus insignis, Adeni obiit. Porro Imamus Djemaloddinus Muhammedes Aththaherus b. Ahmed b. Omar b. Djaman, quem nullus posterorum e gente Dja'man aequavit, decimo quarto Redjebi, et Scheichus Bedroddinus Ahsanus b. Abilabbâs Alhattar decimo sexto Ramadhani Zebidi decesserunt. Zebid autem, ut saepissime tempore priori, ita hoc quoque anno die festo ieiunii Ramadhani ingenti incendio, procellae vi per maximam urbis partem dissipato, valde vastata est, innumera opum, aedium, pecorum copia igne absumta. Rex ubi hoc audit, pro consuetudine sua magna et pecuniae et frumenti copia inopiam et miseriam incolarum sublevat. — Initio Dsulhidjdjae Fakihus doctissimus Schehaboddinus Ahmedes, filius Scheichi Djemaloddini Muhammedis Aththaheri, a Sultano ditionem oppidi Hais administrandam accepit, postquam Kadi Abdolagfarum b. Abilkasim Annahli certas ob causas ab hac dignitate removerat. Profectus est ille Zebido Haisum die decimo quinto eiusdem mensis. Hoc porro mense Emirus Alius b. Schodja Alanasi, Zebido egressus,

expeditionem contra servos Ameriticos obiturus erat; et in vico Beitelgufaro commorans cum magno equitatus peditatusque numero, ex incolis Tureibae, Koraischijjae, Aloschairi et gente Almaazibah coacto, in illos die decimo sexto eiusd. mensis excurrit, qua excursione facta ad urbem Beitelgufarum rediit. Sed paucos tantum dies hic commoratus ad regiones Syriacas se convertit. Ingressum vicum Adhdhahhi adierunt Samitae, opem contra Wathaeos petentes, qui voti compotes facti et parte exercitus adiuti, die secundo Muharrami anni 901 viginti septem ex hostium numero occiderunt. Hoc mense in regionibus, mare Indicum attingentibus, saeva tempestas exorta naves decem in portu Diw, in portu Baha quatuor, opibus refertas, demersit. Emirus Schemsoddinus Alius b. Mohammed ben Isa Alba'dani die octavo eiusdem mensis irruptionem in Taazi incolas fecit, qua multos interfecit, alios in captivitatem redegit, redintegrata dein excursione die duodecimo proelium commisit in loco Dsu Haud nuncupato, quo magnam iis cladem inflixit, fines eorum vastavit, opes et pecora in praedam accepit. Qua victoria reportata regem in urbe Roda Alarsch versantem magna gloria et magnificentia adiit. Is deinde captivos, quos ille adduxit, donis affectos libere dimisit.

INDEX GEOGRAPHICUS

locorum et fluminum, quae in codice commemorantur.

Abb اب, oppidum pagi Jemen ala, non distans a capite tractus huius, Djòbla, atque in media via inter Taazum Sanaamque. Jacet in vertice montis, et prope oppidum alius mons sublimis, Ba'dan بعدان, unde aqua in oppidum aquae ductu perducitur. Non procul ab urbe fluvii Meidam (Meilam, Beinam) et Wadi Zebid oriuntur, qui per Tehamam in sinum Arabicum fluunt.

(Niebuhrii descriptio Arabiae p. 239. Büsching Geographie, tom XI, p. 681. Notices et Extraits tom. IV. p. 522)

Abin ابين, fuit, teste Büschingio, castellum et vicus prope Adenum ad mare iacens. Cum hoc conspirat charta Arabiae in libro Turcico تاريخ جهاننما, ubi Abin non procul ab Adeno depicta est, paululum quippe ad orientem Adeni. In enumeratione Michlaforum, quam in prolegomenis præmisimus, memoratur Michlafus huius nominis, de quo vide proleg. Niebuhrius oppidum pagumve huius nominis non nominat. (cf. Büsching p. 692. et تاريخ جهاننما vide voc. Aden.)

Abu Arisch ابو عريش, nomen oppidi et pagi in septentrionali Tehamae parte, ante Imamo subditi; sed a Scherifo aliquo, quem Imamus huic tractui praeposuerat, non multis abhinc annis sui iuris est factus. Noster ait p. 47, 3 hoc oppidum ad tractum Djazani pertinere (من قرا جازان) quod mirum videtur, cum hac re indicet

Djazanum ipsum esse tractum, quo pertineat urbs Abu Arisch. Pro nostra autem rei notitia vice versa Djazan urbs pagi Abu Arisch est. (Niebuhr l. l. p. 266. Busching l. l. p. 654.)

Aden عدن. Sunt duae huius nominis urbes, prope Sanaam altera, altera in ora maritima, in meridie Jemanae, sita, quarum novissimam noster innuit. Nam ex p. 11, l. 29 et 30 apparet, qui ab hac urbe Zebidum contendat, eum maris cursum sequi posse. Sanaa autem et altera urbs Aden (quae cognomen Laah habet) in regione montana procul a mari sitae sunt. Refert Sacyus (Not. et Extr. l. l. 322) ex Abulfeda, Adenum maritimam, ut ab altera distingueretur, accepisse cognomen ابين, quod in valle hoc nomine praedita, sita sit. (His igitur confirmatur, quod nuperrime de oppido Abin diximus). Fuit Aden urbs primaria pagi australis Belad Aden, cuius incolae, cum antea Imamo subditi fuissent, a. 1730 vel 1740 (p. C. n.) defecerunt, sibimet ipsis Scheichum deligentes. E codice p. 49, 4 et 50, 21 apparet, urbem quippe ad mare sitam, portu gaudere. Convenit hoc cum eo, quod Niebuhrius affert, nostro quoque tempore magnum pulcrumque portum apud urbem esse. Situs urbis probat verum id, quod multi narrarunt, eam antiquis temporibus prae ceteris mercatura floruisse. Immo sunt qui contendant, urbem et portum, a Graecis Ἀραβία εὐδαίμων appellatam, quoniam praecipua antiquitus mercatura vigebat, ab Augusto dirutam, postea denuo exstructam, eandem esse urbem, quae hodie Aden appelletur, quam Plinius Athanam, Philostorgius Ἀδάνην nominaverit, et quae in vaticiniis Ezechielis (c. XXVII, v. 13.) Eden appelletur. Hoc

vero tempore urbs modicis tantum mercaturae fructibus gaudet, propterea quod Scheichus ei propositus societatem cum populis finitimis repudiare videtur. Urbs sita est ad radices montis sublimis et acclivis, cui nonnulli nomen Datzinam tribuunt, unde optima aqua ad urbem perducitur. (Nieb. p. 254 Busching p. 691. Mannert Geographie der Griechen und Römer, tom VI. p. 69-71. Notices et Extr. t. IV. p. 522 et quæ ibi laudata sunt scripta, Voyage de l'Arabie heureuse p. 52.)

Adjalim, tractus. بلاد العجالم, semel tantum in codice occurrit p. 26, 9 af. unde hoc unum apparet, cum inter Abinum et Makaranam situm fuisse. (De Makarana postea agemus). Ceterum nihil de tractu huius nominis inveni, nisi quod Kamusus habet: العجالم قوم من اهل اليمن والنسبة عجلمي i. e. Adjalim est pars ex incolis Jemanensibus, unde formatur adiectivum relativum عجلمي. Accepit igitur tractus ille nomen a possessoribus et incolis.

Ahwab اهواب. Nusquam hoc nomen inveni, nisi in loco Kamusi: الاهواب موضع بساحل بحر اليمن »Ahwab est locus in ora maritima Jemanæ.« Sed hinc nil de situ constat, quare ad ipsum codicem refugiendum est. Narrat enim noster: »superior portus pars ad Ghulafikam pertinet,« inferior ad Ahwabum (p. 7, 3 af.) Apparet satis superque, Ahwabum non procul a Ghulafika et paulo remotius a Zebido, quam illum vicum i. e. in occidentali Tehamae parte ad mare sitam fuisse; in eodem enim loco dicit auctor وكان من قبل يسمى باب غلافقة ينفذ الى غلافقة والى الاهواب. »Et antea haec porta Bab Ghulafikah erat appellata, inde enim egrediuntur Ghulafikam et Alahwabum;«

ex quo sequitur, ut Zebido progediens primum Ghulafikam et tum Alahwahbum veniat. Quod confirmatur etiam, si contuleris codic. p. 18, 21, ubi regio inter Ahwabum et Huwaibum (هوىب) memoratur atque his vocibus significatur: وهو الرستاق المتصل من جبل زبيد الى البحر »hic est tractus a montana Zebidi regione usque ad mare protensus.

Ak عك. Bis haec vox in codice est obvia: p. 4, l. 5 et l. 9. Est gens vel tribus: nam loco priori legitur: »misit exercitum contra eos, qui defecerant من عك, »ex Accensibus, et altera vice بلاد عك ditio Accensium. Adiectis vocibus من تهامة docemur, hanc gentem in Tahama habitasse. Fusius de voce Ak disputat Sacyus in Memoires de Literature t. 50, p. 494. adnot. his fere verbis: Ak ea est terra, quam habitant Benu Ak; Ak autem et Maad duo filii Adnani erant. (cf. Pocok. spec. hist. Arab. p. 46.) Pergit dein Sacyus ex manuscripto. »D'Adnan sont sorties toutes les tribus, qui reconnoissent pour auteur Ismael fils d'Abraham. Adnen eut deux fils, Maad et Acc. Ebn Hesicham dit: Acc s'établit dans Jemen; car Acc, auteur de cette tribu, épousa une femme d'entres les Aschari, et demeura avec eux; ils n'eurent donc, qu'une même demeure et une seule langue, cett.« Ascharios autem gentem ab Kahlano originem petere narrat. Djauhari affert, Accum et Maadum ad tribus Jemanenses pertinere, sed Firouzabadius contendit, falsa eum narrare de origine Acci. Sunt enim haec verba Kamusi: وعك بن عدثان بالثاء المثلثة ابن عبد الله بن الازد وليس بن عدنان اخا معد ووهم الجوهرى, Acc est filius Adtsani, cum Tsa, filii Abdollahi b. Alazd, neque vero filius Adnani, fratris Maaddi, errat enim Djauharius« —

Alakabah العقبة, littera secunda punctis caret. Niebuhrius affert quidem locum huius nominis, qui vero cum nostro minine congruere videtur, cum ex nostro appareat, Akabam non ita multum ab oppidis Zebido et Taazo esse remotam; dicit enim auctor (p. 60, 1.) iter factum esse Zebido Taazum: على طريق العقبة. Quem Niebuhrius autem memorat locum, situs est in extremo septentrione, in limite Hedjazi, in tractu Chaulano. Accedit, quod locus ille cognomen Almuslim habet, quod noster non memoravit. (Niebuhr. ll. p. 270.)

Akamah اكمة, pertinet ad حصون الجحادر, p. 58, 11. Nescio ubi hæc حصون الجحادر sitae fuerint. — L. G. Lugdunense affert, Akamam (اكمة) proprie esse nomen appellativum, tum vero nomen loci, qui situs fuisse videatur inter Meccam, Medinamve et Basram. Ab hoc diversus est اكمة, vicus Jemanae, de quo sic exponit L. G. (اكمة) قرية باليمامة بها منبر وسوق لجعدة ونشيم فنزل (تنزل) اعلاها وقيل من قرى الفلج كبيرة كثيرة النخل. Ocmah vicus Jemanae, in quo suggestus et nundinae Diaditis et Faschiritis in superiore eius parte habitae, aliis hic vicus ad Alfaladjum pertinere, idemque magnus esse multisque palmis gaudere dicitur. Faladj fuit metropolis Jemanæ.

بلاد على بن الحاسم الزاهر, id est, tractus Alio b. Alhasim Azzahir proprius p. 26, 9. af., qui in occidentali Jemanae parte situs fuisse videtur. Etenim a Makarana huc itur per Abinum et Dutsainam.

Amkaban عمقبان, arx, quam noster p. 54, l. 28 a rege Adhdhafiro una cum arce الظفر occupatam esse narrat. De situ nihil constat, nisi cod. p. 11. l. 4. conferre placuerit, ubi auctor locum Adhdhafar rursus memorat, pertinentem

ad montes, qui Zebido imminent الجبال المظلة على زبيد كاصاب والظفر وريمة). Unde haud scio an colligere possimus, arcem Amkaban quippe non procul ab Adhdhafaro sitam, ad regiones prope Zebidum sitas pertinere. Quae praeterea afferam non habeo.

Anbarah العنبرة. De hac urbe exponit Firuzabadius وعنبرة بلدة باليمن, unde de situ nil patet. Sed Abulfeda in A. M. t. III. p. 566. narrat: قرية يقال لها العنبرة من سواحل زبيد, i. e. urbs, quae nuncupatur Anbara in litore Zebidiaco. —

Ardj العرج, occurrit p. 36, 19, unde patet hanc urbem sive pagum ad sinum Arabicum sitam esse, cum auctor narret, regem inter Hodeidam et Ardjum versari. Hodeida enim erat ad sinum Arabicum. Meninski in lexicis monet, complures huius nominis vicos in confinibus urbis Thaif, in Hedjazo inveniri. Kamusus exponit: (عرج وبالفتح د باليمن وواد بالحجاز ذو نخيل, Ardj, cum Fatha, est oppidum Jemanae et vallis in Hedjazo palmis stipata.

Asidj اسيج, arx, quae nominatur p. 11, 3. Cum autem praeterea neque in codice neque alibi inveniatur et sub littera ى puncta diacritica desint, de pronuntiatione statuere quidquam nequeo. Cum auctor l.l. addat: arx اسيج et quae porro regiones montanae Zebido imminent« coniicere licet, in confinibus Zebidi montibus eam sitam fuisse.

Baadan بعدان mons sublimis, sub cuius radicibus urbs Abb sita fuit. Opinio a Sacyo prolata, in hoc monte arcem eiusdem nominis exstitisse, confirmari videtur eo, quod noster p. 37, 1. domini Baadani, صاحب بعدان mentionem facit. Commemoratur etiam Michlafus (regio) nomine Baadan,

in qua arx Hab (حب) inexpugnabilis dicta, iacuit. Convenit cum hoc id, quod de arce Hab relatum est in libro برق اليماني, (Not. et Extr. t. IV. p. 501). Sacyus auctoris verba ita expressit: »On se rappelle, que le chateau de Hab étoit regardé comme imprenable, tant par l'avantage de la situation, que par la difficulté des chemins, qui y conduisoient. Il n'avoit iamais été pris, que par trahison ou stratagème.« Addit Sacyus ibidem p. 526, partem Djabali, ubi haec arx sita est, et Choban, et Hoban et Djenan appellari pro diversitate punctorum diacriticorum, quibus vox حبان insigniatur, atque, ut ex eodem loco p. 501 appareat, eam non multum a monte Sumara et oppido Dsemar abesse; concludit dein, illud Choban cett. eundem esse tractum, quem Niebuhrius Beladkhauben nominet, in provincia Mechader situm. De arce Hab conferenda est codicis p. 18, l. 8. af. et p. 19, l. af. In loco priori narratur, hanc cum aliis nonnullis Jemanae arcibus a. fere 579 exstructam esse a principe Jemanensi Abulfawariso Seifolislamo Thagthakino ben Ajub. Et ea arx Dsi Roain appellata fuisse videtur. Occurrit etiam مخلاف رعين (vid. prolegg. de Michlafis), atque ad Michlafum Maden مـــادن memoratur: ومادن من ال ذو رعين. At haec nihil docent de situ Baadani, de quo Sacyi opinio amplectenda videtur. Michlafus Baaden a Firuzabadio etiam memoratur.

Badweh بدوة. Dubitare licet, an recte ita pronuntietur, etenim vox, nisi p. 58, 15 non legitur in codice. Ex hoc loco apparet, hunc locum in regione fluvii Rima (رمع) situm fuisse. In L. G. Lugd. occurrit mons huius nominis, situs in Nedjd, qui proprius fuit genti Banu-Idjlan لبني عجلان

Baihan بيحان, quamquam littera prima punctis caret, tamen ita legendum censeo, quod in notitia de Michlafis hic locus occurrit. Huic adde, quod Niebuhrius affert Wadi Beihan, non procul a Sanaa situm, qui fortasse intelligendus est. Nam Beihan saepissime cum oppidis Sanaa, Sa'da et Nedrano coniungitur in codice. (cf. Niebuhrius l. l. p. 233.)

Baitelfakih b. Adjil بيت الفقيه ابن عجيل, saepissime in nostro est obvius locus. Niebuhrius et Büschingius eum Beitelfakih, omissis vocibus b. Adjil, nominant, quas voces noster apposuisse videtur, ut a multis aliis locis Beitelfakih dictis, distinguatnr, quae in geographis non occurrunt. Voces بيت الفقيه significant aedes iuris periti, et ortae videntur ab urbis conditore, quem Niebuhrius Ahmedem b. Musa, virum sanctum, sectam Sunnitarum amplectentem, appellat. Teste Büschingio hoc nomen neque in Abulfedae neque in geographi Nubiensis operibus commemoratur, quoniam post eorum tempus ortum est. Non urbs solum, sed tractus quoque Tehamae nomine Beitelfakih vocatur, qui inter Lohaiam et Zebidum situs est. Beitelfakih non ita multum a Zebido distat, antea admodum celebratus fuit locus, idque praecipue ex quo Ghulafikah, portus Zebidi, veteri gloria destitutus est, cum in omnes orientis partes mercatura inde exerceretur. A sinu Arabico enim decem tantum milliarium Gallicorum (lieues) spatio remotus est, atque ab urbe Moccha intervallo viginti quinque milliarium. Magnis pulcrisque aedificiis, multisque ornatus est templis, aqua autem indiget, cum non nisi ex puteo valde profundo incolis aqua suppeditetur, quae, priusquam

bibitur, aliquantulum sub divo collocanda est (cf. Niebuhr. p. 226. Büsching p. 664. Voyage de l'Arabie heureuse p. 104 seqq. Notic. et Extr. p. 523 et quae ibi laudata sunt scripta.

B a i t e l f a k i h b. H o s c h e i b e r بيت الفقيه بن حشيبر et Baitelfakih, apposita voce difficili lectu, quam scriba signo apposito spuriam esse monet (p. 53, 9 af.) sed in altero loco p. 49 l. 17 vox distincte scripta est. Ea ابو حشيبر vel ابن حشيبر efferri potest; sed desunt omnia signa diacritica. Frustra nomina eorum in libris geographicis, qui in promptu mihi erant, quaesivi, neque ex codice de conditione et situ eorum aliud quidquam est apertum, nisi quod ad regiones Lamiticas pertinuerit, non procul a Mur et Surdad distans. Haec dicit auctor ودخل اللامية وبيت الفقيه بن حشيبر فجبا خراجها وخراج الواديين سردد ومور. »Et intravit regiones Lamiticas et Beitelfakih ben Hoschaibar et collegit eius tributa, nec non tributum duarum vallium Surdad et Mur«.

B a i t e l g u f a r بيت الغفار, saepe in codice occurrit. Habuit arcem, quae inexpugnabilis dicta est (pag. 55, 9 af.). Regnante rege Adhdhafiro, avunculi eius, seditione facta, et hanc urbem et alias nonnullas in potestatem suam redegerunt (54, 30). De situ nihil inveni. Vocem autem Gufar pronuntiandam esse, docent p. 60, 20 et 22, cum in priori loco vocales, in altero omnia puncta diacritica apposita sint. In Kamuso haec leguntur: وعفارية مشددة بلدة بمصر وكقفل حصن باليمن, unde arcem Jemanensem nomine Gufr exstitisse patet, quae an cum nostra componenda sit, nescio.

B a n a, بنا, p. 25, 22 Signa diacritica desunt. In lex. Geogr. exstat بنا, vicus Jemanae et نبا, locus in Tayif. Noster locus in regionibus altis

ditionis Taazi situs esse videtur, quippe auctor in loco adducto haec dicat: وكان من ماثيره بقدرة الله تعالى حصول موت عظيم فى البلاد المرتفعة من تعز كجحاف وبلاد لجحدرى وبنا etc. Hanc vero columnam igneam secuta est pestis mortifera in regionibus altis Taazi ut Djihaf, Bilad Aldjahdari et Bene etc.

Basra بصرة, magna urbs ad ripam occidentalem fluminis Schatal Arab (Græcis *Πασίτιγρις*), non procul ab extremo sinus Persici limite sita, quae, olim Arabibus propria, postea ab Osmanis est occupata. Urbi et regioni circumiacenti, cui idem est nomen, anno p. C. n. 1668 ab Osmanis Pascha praefectus est, unde universus hic tractus nomen Paschalik accepit, quemadmodum multae aliae ditiones regni Osmanorum. E codice p. 4, l. 20 apparet, regi Alio b. Thalib hanc urbem paruisse. Dicit enim auctor de viris nonnullis: قد عزموا على الخلاف على على والمسير الى بصرة »bellum contra Alium et iter in Basram suscipiendum» i. e. Basram eripere ei voluerunt. (vid. Nieb. tabulam sinus Persici, Büsching p. 228, 229.)

Beidhahasa بيضا حصى. Nequaquam dubito, quin hic idem sit locus, quem Niebuhrius بيضا nominarit, praecipue cum in nostro duabus vocibus sit scriptus, ita ut حصى nil nisi cognomen, بيضا autem verum urbis nomen fuisse videatur. Teste Niebuhrio locus Beidha in provincia Jafaa situs fuit, neque loci codicis nostri, ubi memoratur, cum hoc pugnant; cf. p. 55, 12 af. 8. af. 4. af. [Nieb. 282. Busching p. 697.] Memorat noster, eidem cognomen سمر جناح fuisse, quod quomodo pronuntiandum sit, nescio.

بلد الغربيبين; perperam scripta vox, et semel tantum in codice occurrit p. 51, 14 af, unde patere videtur, eam regionem non multum a

Sahbano distare. V. C. Hamakerus notat, fortasse الغرس legendum esse, nam وادى الغرس esse, teste L. G. معدن بين النقره وفدل. Praeterea vero occurrere locum عرش بلقيس, eumque diei itinere a Dsemaro remotum esse, ubi magnae marmoreae columnae, fons, et putei supersint; quae vero coniectura mihi non placet, quippe dubitare non possim, vocem الغربيين vel العربيين gentem quandam indicare. Sed quum omnia signa diacritica desint, quomodo efferenda sit vox, definire non ausus sum.

Berirah بريرة; hoc nomine et tractus et insula dicitur, atque insula Berirah V. clarissimo, Hamakero, eadem videtur esse cum Sakotra [سقطرى], quae e regione Adeni sita est.

Bilad Alrumah. بلاد الـرماة Non dubitandum est, quin Alrumah nomen gentis fuerit. Ea in vicinitate gentis Almaazibah sedem habuisse videtur et haud procul ab urbe Zebid. Accuratius vero huius regionis, quae ab illa gente nomen duxit, situs definiri non potest. conf. p. 26, 7, 29, 9.

Bokah بقعة. De hoc vico antea nihil certi cognitum erat. Niebuhrius eius non facit mentionem, neque reliqui geographi, nisi quod, teste Sacyo, in tabula sinus Arabici a D'Anvillio delineata, nomen Bokah invenitur. In libro برق اليمانى hic locus occurrit, et Sacyus pauca de eo retulit in Not. et Extr. II. p. 523. Jam vero ex nostro codice, quod ante compertum non erat, videmus, Bokam esse nomen inferioris partis portus, vel vici ad hunc portum siti; alio enim modo explicari non posse videntur verba: غلافقة قرية عظيمة مشهورة كانت بندرا لمدكاينة زبيد على ساحل البحر واسفل البندر الى قرية الاهواب ويسما اليوم البقعة » Ghulafikah

est vicus magnus, notus, apud quem est portus urbis Zebidi, ad ripam maris situs, et inferior portus pars usque ad vicum Alahwab protenditur et hodie Albokah appellatur, conf. p. 40, 7 ubi hic portus Albokae appellatur فوصل الى بندر البقعة »et pervenit ad portum Albokae« conf. et p. 31 l. 8 af. et 36 l. 21.

Chalab خلب. Quamquam hic locus in geographis non occurrit, aliquantulum tamen de situ eius e nostro constituere possumus. P. 49 l. 14. af. narrat auctor, regionem inter hunc locum et Medeb [مدب sed litterae huius vocis non plane expressae sunt, ut nomen dubium sit] sitam magna procella vastatam esse. Quamquam Medeb ne ipsa quidem nota est, tamen appositis vocibus من ناحية جازان apparet, unum alterumve non procul a Djazano, magno oppido tractus Abuarisch, igitur in septentrionali Tehamae parte situm fuisse. Ceterum monere iuvat, et in hoc loco, ut supra [vid. v. Abuarisch] non dictum esse من ناحية ابى عريش sed من ناحية جازان, etsi hoc saltem tempore provincia nomine Abuarisch appelletur, voce Djazan autem nil nisi oppidum significetur, id quod usu veniet cum de Djazano exponemus.

Chauah الخوة. Ex uno, quo occurrit, loco, p. 16, 29, apparere videtur, hoc nomine oppidum significari, cum Ahmedes ben Ali, frater Abdonnabijji, igne id cremasse dicatur, — et, quoniam idem ab oppido Djennado illuc profectus, dein Djennadum revertebatur, forsan quisquam concluserit, alterum ab altero non admodum fuisse remotum. — Occurrit in lexico Geogr. الخوة, quae vox huc pertinere nequit, partim quod in nostro خوة, cum و hamzato scribitur,

partim quod خوة nomen putei cuiusdam esse dicitur.

Chaulan خولان. Niebuhrius duas provincias huius nominis commemorat, quas in prolegg. circumscripsimus. Noster Chaulani mentionem facit (p. 22, 1.).

Choban خبان. Est fluvius et urbs huius nominis in nostro p. 26, 10 af. et p. 50, 6. af.. Cum auctor narret, praefectum Sanaæ contra regionem Thaheritarum contendisse, dein a rege, obviam profecto, victum et usque ad Wadi Choban profligatum esse, regem vero hinc Makaranam rediisse, non absurdum videtur coniicere, fluvium et urbem Choban, etiamsi non prope Makaranam, at certe non procul ab ea sitam fuisse. Niebuhrius in eadem fere regione tractum Belad Chauban posuit, et quamquam vox ipsa aliquantulum a nostra diversa sit, tum quoque Nieburius neque fluvii neque urbis huius nominis mentionem faciat, Niebuhrii tamen Chauban et nostri Choban componendas esse crediderim, Sacyi sententiam secutus. Fluvius Choban a Firuzabadio quoque memoratur (Not. et Extr. t. IV. p. 526. Niebuhrii descript. Arab. p. 238. cf. etiam vocem Baudan).

Daroschschadjarah دار الشجرة, nomen palatii e regione Taazi, ut noster memorat, p. 22. 24.

Dehlek دهلك. De hac insula maris rubri Firuzabadius in Camuso ita exponit. دهلك كجعفر جزيرة بين بر اليمن وبر الحبشة i. e. »Dehlek pronuntiata quemadmodum vox Djafar, est insula inter continentem Jemanensem et Abyssiniam«. Ex uno codicis loco apparet, insulam terrae Abyssinorum adscriptam fuisse. Conferas cod. p. 9

l. 5. af. cum p. 10, l. 14. Loco priori narratum erat, filios Nadjahi Dehlekum aufugisse, altero eadem res his verbis narratur: »aufugerant, ut narravimus, filii eius (Nadjahi) in terram Abyssinorum.« Abulfeda in geographicis haec habet: دهلك بفتح الدال المهملة وسكون الها ثم لام مفتوحة وكاف وجزيرة دهلك مشهورة وهى فى طريق المسافرين فى بحر عيذاب الى اليمن عن ابن سعيد قال ودهلك غربى مدينة حلى وطول جزيرة دهلك نحو ثمانين ميلا وبينها وبين بر اليمن نحو ثلثين ميلا فى البحر وملك دهلك من الحبش المسلمين وهو يدارى ملك اليمن: i. e. Dehlek cum Fatha litterae Dal puncto carentis, He quiescenti, Fatha litterae Lam, dein insequente Kaf. Insula Dehlek est celebrata, in quam ii, qui per mare Aidsabum in Jemanam proficiscuntur, in ipso itinere incidunt. Teste Ibn Saido Dehlek ab oriente Hali sita, longitudinem octoginta fere milliarium comprehendit, inter eam et continentem Jemanae triginta ferme milliaria maritima interiacent. Rex insulae pertinet ad Abyssinos, qui Islamismum amplectuntur, sed agnoscit regem Jemanensem.

Cf. Reiskii notam ad Abulfedae A. M. t. III. p. 56, in eodem tomo p. 658. Vide etiam, sis, Meninskium in lexic., qui geog. min. Gr. secutus est.

D e m a z دماز. De hoc loco neque ex codice, ubi semel tantum occurrit (34, 3. af.), neque ex geographis quidquam scimus. Conjicio autem, scribam perperam دماز loco ذمار scripsisse, de quo loco mox exponemus.

D h a d j a ضجع, vicus ad Wadi Rima situs; ubi a. 860 prœlium committebatur inter gentem Almaazibah, quæ hunc locum tenebat, et Mudjahidum. Geographi eum non memorant. De

vocalibus dubitandum. In Camuso ضجع nomen loci esse dicitur, sed quis affirmare ausus sit, eundem illum esse ac nostrum.

Dhafajir ظفاير (Desunt puncta litteræ ط et ى) locus, qui occurrit p. 20, l. 2. af. l. l. Hamaker putat, hac voce complura loca comprehendi, quorum nomina a ظفر sint derivata. Memorari enim urbes ظفار, ظفران et ظفر الفتح in monte وصاب in tractu Zebidi, tum aliud ظفران in tractu Jemanensi, et castellum ظفير. Sed in codice nostro sermo est de oppido Dhafair اخــذ مدينــة ظفاير, neque in hoc nexu ظفاير plura loca posse comprehendere, puto.

Dhafar. ظفر. Vide de hac voce, quae exposui ad Reimam, unde apparet, arcem hanc prope Zebidum iacuisse in montana regione. cf. p. 11 4 p. 54, 27. In Niebuhrii charta ruinæ urbis Dhafar notatae sunt prope montem Sumaram in pago Mechader. Videtur autem haec ruina nimium remota a Zebido, quam ut noster dicere potuisset, arcem hanc in montibus esse, qui Zebido imminent (11, 4) Hamza Isfahensis narrat, urbem Dhafar a filio regis Schamari b. Alumluk aedificatam esse: تم جرى ابنه على منهاجه فى طــاعة ملك الفرس وبنــا مدينة ظفر بالــيمــن (Hist. Imp. Joctanid. p. 20.) Kamusus habet: ظــفــران, وظفر وظفير بكسر فايهن حصون باليمــن Mox pergit: وظفر الفتح من اعمال زبيد. —

Adhdhahhi, الضحى, p. 44, af. p. 44, 21. p. 60, 22, quem locum Niebuhrius nil nisi magnum vicum inter Loheiam et Beitelfakihum situm dicit. Pertinet ad provinciam Loheiam. (Niebuhrius l. l. p. 229.)

Djarabih جرابح, nomen gentis, ut videtur, a qua regio, quam incolebat, nomen بلد الجرابح

accepit. P. 49 occurrit, sed de situ nihil cognitum habeo.

Djazan جازان, urbs sæpissime in codice nominata, a Niebuhrio جيزان scripta et Djesan pronuntiata. Pertinet illa ad tractum Abuarisch, et portu praeclaro utitur. Büschingius auctor est, regionem suburbanam prae aliis fertilem esse, neque fructus solum cuiusque generis proferre, sed agriculturae quoque et iumentis alendis maxime accomodatam esse. Magno quoque mercaturae commercio floret. Teste Niebuhrio haec urbs tempore, quo auctor libri برق اليمانى vixit et quo Osmani Iemanam invaserunt, principi tractus Abu Arisch non obediebat, sed sola per se a Scherifo regnabatur. Idem tempore auctoris nostri, qui paulo ante Osmanorum in Jemanam excursionem vixit, usu venisse ea de causa contenderim, quod supra iam notavi, plus una vice de oppidis quibusdam dici, ea fuisse من قرا جازان, neque vero من قرا ابى عريش, quod merito exspectari potuerit (cf. voces Abu Arisch et Chalab). Mannertius iure suo, Djazan eandem esse urbem censet, quam Ptolemæus Pudnu dixerit, sin minus, Pudnu in eodem fere loco atque Djazan sitam fuisse, et Bochartius coniecturam proponit, in regione urbis Djazan terram Ophir, in V. T. propter magnas divitias magnamque auri copiam celebratam, quærendam esse (Nieb. p. 267 Büsching. 653 et 654. Mannertius l. l. p. 60. Not. et Extr. p. 525 et quae ibi laudantur scripta).

Djebel Badr جبل بدر. Nomen loci cuiusdam, qui inter Adenum et Dsu-Djablah situs est et in alio loco inter Lohadjum et Djobanum collocatur. conf. p. 43.

Djehaf جحاف, nomen quod frustra in libris geographicis quaesivi. Firuzabadius tantum dicit, hoc nomine montem Jemanae vocari. In locis ubi occurrit vox, dubitare licet, utrum regionem an oppidum significet, hanc enim regionibus altioribus Taazi accenset فى البلاد المرتفعة من تعز كجحاف وبلاد الجحدرى »in regionibus altioribus ditionis Taazi ut Djihaf et terris Aldjhahdari« p. 25, 22 et 53, 19.

Djennad جند. Duo huius nominis loca apud geographos occurrunt, quorum alterum ad provinciam Taaz, alterum, Djenned pronuntiatum, ad tractum Amran pertinet (in Camuso, cuius auctor unum tantum oppidum ita appellatum affert, id Djond enuntiatur). Quamquam saepe urbs Djennad in nostro commemoratur, tamen non est, quo dignosci possit, utra harum urbium intelligenda sit. Quod ut appareat, locos, ubi urbs Djennad memoratur, afferam p. 3 l. 1 p. 3 l. 3 af. p. 4 l. 11 p. 4 l. 10 af. p. 16 l. 11 p. 16 l. 28 et 29. — Ahmedes b. Ali, frater regis Abdonnabijji hanc urbem vastatam denuo reficiendam curavit anno 559. E cod. p. 16, 29 videtur apparere, eam non procul ab Adeno sitam fuisse, quare ego quidem urbem, quam Niebuhrius in provincia Taaz posuerit, significari putaverim. Notandum est, Djennadum ad quatuor loca sacrosancta pertinere, quae noster p. 3, 1 memorat. Sunt enim الكثيب الابيض والجند ومارب وزبيد. Cum hoc convenit, quod Niebuhrius de Djennado nuntiat, eam nunc quidem vicum tantum, Muhammedis autem aevo urbem celebratam fuisse, magnumque a Maado ibn Djabbal ibi exstructum templum vel hoc tempore exstare (cf. Niebuhrium l. l. p. 42 et p. 254. Büsching. l. l. p. 683.

Dimluwwah دملوة, saepissime in codice occurrit, et in Abulfeda A. M. دملوة scribitur. Fuit oppidum provinciae Haedjerie (الحجرية), quod Niebuhrius prope Taazum depinxit, non admodum magnum illud, sed firmissimo munitum castello, ita ut firmitudo eius in proverbium abierit, et hac de causa, teste Büschingio et Abulfeda, illic thesauri antiquorum Jemanae regum recondebantur. Noster quoque arcis huius mentionem facit p. 20, l. 5 af. p. 21, l. 4. — cf. Niebuhr. p. 243. Büsching p, 683.

Djoblah جبلة et minus bene جبلا; bene distinguenda est a provincia Djibálo, quae scribitur جبال i. e. montes, quia tota provincia montana est. E cod. p. 11, 15 seqq. discimus, urbem Djoblah ab Abdollaho b. Muhammed b. Ali Assolaihi a. H. 458. conditam, atque »inter duo flumina, cum aestate tum hieme fluentia« sitam esse. — In Camuso tres iisdem litteris scripti, sed diversis vocalibus enunciata loca inveniuntur, unus جبلة Djiblah locus quidam in regione Jemana, cuius situs descriptus non est pluribus, alter in provincia Tehama جبلة »Djebelah« dictus et idem in Bahrein et tertius جبلة Djoblah inter Sanaam et Adenum situs. Hoc nobis pluribns locis codicis oppidum adductum videtur. Quae e codice hausta attulimus, ea non pugnare videntur cum eis, quae a Niebuhrio de loco Djobal nuncupato, traduntur, etsi hicce non de oppido, sed de vico huius nominis exponit. Hunc locum dicit situm esse in Wadi Beihan, atque ad provinciam Sanhan pertinere. In tabula eius geographica Djabal aliquantum ab urbe Adeno remotam, in orientali provinciæ Djabali parte depictam, invenimus, eamque duobus fluviis clausam, quam-

quam hi non ipsam urbem attingant. Horum alter est Wadi Beihan, alterius nomen Niebuhrius haud annotavit, dixit autem, trium eum dierum spatio a Djabale remotum, continua aqua gaudere, id quod non multis Jemanæ fluviis contingit; praeterea piscibus abundare et in Sabaeorum fines excurrere. — Vides omnia bene cum nostro convenire. (Cf. Nieb. p. 233.)

Djuban جبن in geographicis non occurrit. Apparet autem e codice, hunc locum compluribus regibus sedem imperii fuisse, velut Alwahhabo (p. 50, 10 af.), Almudjahido p. 32, 8. In loco novissimo narratur, Almudjahidum Adeno Taazum proficiscentem in ipso itinere Djubanum venisse. p. 43, 3 legimus, eundem regem morbo affectum Adeno per Lahadj et Djebl Badr huc profectum esse, et cum auctor nullam urbem inter Djabl Badr et Djuban sitam memoret, Djuban non procul a Djabl Badr videtur iacuisse. His locis collatis ego quidem Djuban in regione urbium Aden, Taaz et Djabal sitam fuisse contenderim. Vocem جبن vocalibus Dhamma et Fatha pronuntiandam esse, apparet e p. 51, 3 ubi vocales adscriptae sunt. L. G. ait, Djaban esse castellum Jemanense.

Dsachir ذخِر, arx ad حصون الجحادر pertinens. p. 58, 11. Vox autem الجحادر, quae puncto diacritico caret, nomen gentis esse videtur. In textu scribitur دحر; Kamusus habet: ذخر ككتف جبل باليمانة et L. Geogr. exhibet itidem, ذخِر esse locum in Jemana, indeque montem idem nomen accepisse. Haec vocis scriptio, quippe in codice saepissime puncta diacritica desint, recta esse videtur.

Dsemar ذمار. Niebuhrius, Büsching et Sacyus pronuntiant Dhamar. Urbs Dsemar, spatio

duodecim et dimidii milliarium a Sanaa distans, in provincia Mechareb et Anes sita est, cuius caput fuit. Pars urbis parvum attingit fluvium. Pulcra aedificia, magnum castellum et illustris quoque Academia Sunnitarum hanc urbem ornant. Auctor libelli: »Voyage de l'Arabie heureuse« narrat, eam quindecim milliarium Gallicorum (lieues) spatio a Jerim (Yran) distare, et prope eam oppidum Muab, sedem regis Jemanensis, situm esse. Teste Barthema urbs unius itineris spatio a Zebido abest et quinque partes, alteram ab altera aliquantulum segregatam, continet [Büsching p. 676. Nieb. p. 235. Voyage de l'Arabie heureuse. p. 197. Not. et Extr. p. 524.]

D s i r a ذراع bis in codice occurrit, ita tamen ut de situ nihil appareat, cum auctor præfectum tantum Dsiraæ memoret [صاحب الذراع] p. 44, 6. p. 49, 13. In libro برق اليمانى nomen pagi ذراع الكلب obvium est, qui an idem cum nostro ذراع sit, sciri nequit. Keleb in codice quoque occurrit, ut nomen arcis. Sacyus de tractu illo haec refert: »C'est suivant l'auteur du Bark Yemani un defilé entre deux hautes montagnes, a moitié chemin de Dhamer [Dsemar] à Sanaa. Ce lieu est pierreux, raboteux et tres incommode à marcher.« Notic. et Extr. l. l. p. 524, 525.

D s u A d i n a h ذو عدينة. — P. 16, 7. af. narratur, Sultanum Chatimum ben Ali b. Addaï Seba b. Abissäud, praefectum Adeni, ab urbe S a n a a contra Abdonnabijjum (qui T a a z i degebat) profectum, proelium cum eo commisisse apud Dsu Adinah, unde sequitur, hunc locum inter Taazum et Sanaam situm fuisse. E reliquis locis, quibus urbs occurrit (p. 21, 1 et 27, 27,) nil discimus, nisi templum Ala'dham [الجامع الاعظم]

et templnm Almothafiri [الجامع المظفرى] ibi exstitisse. In geographis nil de urbis situ inveni. In charta libri تاريخ جهاننما urbs عدينة (sed non ذو عديـنـة) depicta est paululum ad orientem Adeni et Abini, ad mare sita; eandem in Kamuso memoratam reperi ut videtur Odainah. Num vero nomen Dsu-Odainah vel Dsu Adinah efferendum sit, dubium est, quum et Adinah nomen loci sit.

Dsu Djabalah ذو جبلة; ita haec urbs scribitur p. 16, 8, at saepius ذو حـبـلـة, littera ج puncto destituta. L. G. dicit, ذو جبلة esse oppidum ad montem Sabber, sed mons iste inter Adenum et Djabalam situs est, inter quem et Adenum alius locus Djabl Badr situs fuit.

Dsu Habalah vide vocem Dsu Djabalah.

Dsu Harim ذو هـريم nomen loci vel urbis, p. 19, 27 obvium. Tertiae litterae vocis هـريـم puncta diacritica non adscripta sunt, quare non constat, an vox Harim sit pronuntianda. L. G. habet ذو هرم, quo nomine appellatur locus in vicinia Althajifi.

Dubbal دبـل, arx, pertinens ad حـصـون الجحادر, p. 58, 11. L. G. offert locum دبـل, in carminibus الـحجـاج.

Feschal فشال. Vocem ita pronuntiandam esse, persuasum mihi habeo, cum p. 29, 19 et 20 omnibus his punctis adscriptis occurrat, quamquam p. 33, 3 af. et p. 38, 17. فسـال, neque priori, neque secunda littera punctis insignita, occurrat. Siquid de situ loci statuendum est, e p. 37, 17 divinaverim, eum in Tehama, atque non ita procul a Zebido situm fuisse. Atque hanc quidem opinionem confirmat Firuzabadius, dicens: فشال وكسحاب بلدة قرب زبيد. »Faschal ut سحاب efferendum est nomen oppidi prope Zebidum«

Gharah الغارة occurrit p. 32, 13, unde apparet, hunc locum inter Hakram (هقرة) et Adenum situm fuisse, i. e. a septentrionali et occidentali Adeni parte (vid. de situ Hakrae hanc vocem).

Gholafikah غلافقة. (Si Firozabadium sequimur, vox غلافقة est Gholafikah pronuntianda). Est magnus et notus vicus ad superiorem portus Zebidi, sc. urbi propiorem partem, situs. conf. Bokah.

Hab حب. De hac arce exposui ad vocem Baadan.

Hablah حبلة. Firozabad refert, Hablam esse urbem prope Ascalonem. E codice nil de situ apparet; occurrit p. 11, 12. 11, 22. 18, 11 af. 34, 12. 40, 22, semel جبلة scripta et non dubito, quin haec recta sit vocis scriptio.

Had Almensakijjah حد المنسكية (littera ن punctis caret.) locus in Wadi Seham situs, p. 20, 26. De omnibus his locis in geographicis libris, qui in promtu sunt, nil inveni.

Hadab حدب, arx inexpugnabilis p. 45, 23. p. 42, 3 af.

Hadad حدد, arx Jemanensis. p. 18, 8 af. p. 36, 29. p. 40, 15.

Hadhramaut حضرموت. Hæc provincia et Mecca et Hali saepe fines regni Jemanensis dictæ sunt. De finibus Hadhramauti non opus est enarrare, ut qui omnibus noti; attingit provincia orientales Jemanae partes, quare a nonnullis ipsi Jemanæ adscribitur. Quod arbitrantur quidam, provinciam a Chazarmavet filio Joctani (qui Genes. X, 26. nominatur) nomen traxisse, veri simillimum videtur esse. Omnes enim Arabiae australis incolae aut a Kuscho, filio Chami, aut a Joctano, a Semo descendente

oriundi dicuntur, id quod in prolegg. exposuimus. — Haec inprimis provincia propter magnam, quam profert, thuris, aloes, myrrhorum, aliarumque huiusmodi rerum copiam Arabibus valde celebrata fuit; abundat regionibus montanis, iisque foecundissimis; incolæ, sectam Sunni amplectentes, hoc quoque tempore urbibus magni momenti gaudent, quae mercaturae commercio florent. Tantum vero abest, ut universa provincia uni subdita sit regi, ut singulis partibus singuli imperent, qui ne minimum quidem alter alterius iussa accipiunt. Provincia diligenter descripta est in Nieb. descript. Arab. p. 283 seqq. praeterea vide Büsching. l. l. p. 697 et Mannert p. 6

Hakrah حقرة. Cum hic locus apud geographos non occurrat, ad codicem nostrum refugiendum est, unde aliquantulum saltem de situ eius discimus. Praecipue inspiciendum est iter Mesudi, p. 31, 27 descriptum. Mesudus, Taazi degens a gente Benu Thaher impugnatus, urbe propellitur, iamque Adenum contendit, qua in via primum Muzaam, dein Hakram, dein Adenum pervenit. Quam viam si prosecuti fuerimus in tabula geographica, situm urbis tantum non planissime depictum inveniemus, cum Muzaa non plus sex fere dierum spatio ab Adeno distare videatur. Nam Taaz, quae paulo propius Adenum versus iacet, quinque dierum spatio abest (Nieb. p. 241). Reliqui loci, ubi occurrit, etsi nil probant, hoc tamen innuere videntur, eum non valde remotum fuisse ab Adeno et Zebido (p. 32. l. 13. 18. 19).

Hali حلي oppidulum, quod cum antiquitus, tum hodie limes Jemanæ et Hedjazi est. Itaque in nostro non raro memoratur, ad hunc usque

18

locum Jemanam expugnatam atque regnatam esse, v. c. p. 8, 19 cell. Locus aliquantulum a mari distat, atque non procul ab ipso promontorium eiusdem nominis est. Castello oppidi a Scherifo Meccano præsidium impositum est. Büschingius Hali Tehamae annumerat, eamque unius diei spatio a flumine Sanian distare cum Abulfeda contendit. Mannertus autumat, Hali eandem esse urbem, quam Ptolemaeus Mamalam (Μαμάλη Κώμη) appellaverit, addit autem, teste Ptolemaeo non hanc urbem, sed Adedu (Niebuhrii Attaie) limitem fuisse Jemanae et Hedjazi.

(Nieb. p. 375. Büsching. p. 651 et 652. Mannert. p. 60.)

Hamra الحمرا, urbs Jemanae, quemadmodum Firozabadius cum nostro narrat. Sed de situ nihil notum est.

Hanad حند, his vocalibus insignita occurrit vox p. 52, 4 af. Ex eodem loco apparet, hunc locum situm fuisse inter Adenum et Djubanum; nam Almelik Adhdhafirus, Adeno in urbem suam (haec autem fuit Djuban cf. p. 50, 10.) proficiscens in ipso itinere per Hanadum profectus est. —

Harân حران, nomen oppidi bis obvium p. 23, 10 et 35, 21. L. G. exhibet, Haranum esse castellum Demari Jemanensis. (من دمار اليمن, vide in prolegg. locum de Michlafis.)

Harradh حرض, locus, qui occurrit p. 24, 14. p. 42, 9 af. p. 50, 18, pertinens ad tractum Abu Arisch, ubi, Niebuhrio teste, Scherifus Ahmedes, pater principis, qui hodie pagum illum administrat, sepultus est. In tabula geographica locum aliquantum a meridie urbis Abuarisch de-

pictum videmus (Nieb. p. 268 et tabula maris rubri).

Harraz حراز pagus Djabalis, qui nomen accepit a magno huius nominis monte, admodum fertili. Situs est a meridie tractus Kaukeban et oppida nonnulla comprehendit. Noster quoque non de urbe, sed de pago huius nominis loquitur (بلاد حراز), atque montes Masar (مسار) ad eum pertinentes memorat. (p. 9, 13 af.). In aliis codicis locis حران loco حراز invenitur. cf. Büsching. p. 688. Niebuhr. p. 249. Not. et Extr. p. 527.

Hawâz aut Hawân الهوان, sed litterae ز interdum ن est supposita. Videtur hoc nomine vocata esse provincia, quae non ad Djabâlem pertinuerit. cf. p. 11, 6.

Hedjaz حجاز. Hoc nomine vocatur terra, quae inde ab extrema septentrionali Jemanae parte usque ad eum limitem sinus Arabici, qui orientem versus vergit, et Bahr el Akaba nominatur, ad ipsum sinum Arabicum, producitur, et versus orientem provinciam Nedjd attingit. Et huic terrae multae regiones montanae propriæ sunt, quae multos variosque proferunt fructus; ea tamen pars, quae sinum Arabicum attingit, montibus est destituta, passimque fluviis a montibus decurrentibus rigatur. Scherifus, cui Mecca imperii sedes est, aliquam Hedjazi partem possidet; reliqua pars suae ditionis est, singulisque Scheichis nemini obnoxiis subdita, quamquam Sultanus Constantinopolitanus navata opera provinciam sibi subiectam tenere perpetuo studet. Urbes Arabibus celeberrimae, Mecca et Medina, multaeque praeterea urbes insignes ad hanc provinciam pertinent. — Qui triplicem Arabiae partitionem in desertam, petræam et felicem am-

plectuntur, ii Hedjazum partem Arabiae petraeae esse statuunt cf. Nieb. p. 349 seqq. Büsching 623 seqq.

Heis حيس. Niebuhr. et Büsching pronuntiant Häs. Pertinet haec urbs ad tractum Oesab el Asfal, cuius caput est, sed nihilominus, Niebuhrio teste, exigui tantum est momenti. Gaudet urbs castello, quod sedes Dolae, i. e. urbi praefecti, est. Non procul ab ea mons Debas est, atque urbs ipsa ad Wadi Suradj iacet. Büschingius autumat, hanc eandem esse urbem, quam geogr. Nub. Haus nominaverit. Vid. Nieb. 224. Büsching. 668., Not. et Extr. 527.

Henfer حنفر est locus من ارض ابين, i. e. e tractu Abini. Cum hoc consentit L. G., referens: خنفر مدينة باس (بابين) بها بنو عامر بن كندة; littera ح igitur in L. G. خ est scripta, hinc in nostro forsan خنفر legendum est.

Hobaisch حبيش. Occurrit bis in codice vox haud accurate scripta p. 48. 3. fp. 56. 21. uno حبش, altero حييش, sed puncto diacritico sub ب deficiente; nec vero dubito, quin utroque loco ita legendum sit, quoniam de loco حيش omnino nil cognitum est, Hobaisch vero a geographis memorata nostro mire respondet. Nam p. 56 princeps Schemsoddinus Alius ben-Muhammed Zebido Hubalam contendit in via Hobaisch. Hobaisch igitur inter Zebidum et Hubalam i. e. prope Zebidum iacuit. Teste Niebuhrio hic locus ad provinciam Mechader pertinet, neque multum a Zebido neque a Heiso distat, quippe inter oppida Mechader et Cethumam in parvo colli situs. He Sacyus oppidi nomen a gente Benu Hobeisch in برق اليماني non minus, quam in nostro codice obvia, derivandum esse existimat. Monendum

etiam est Niebuhrium, et Büschingium hoc oppidum Hoebasch, de Sacyum Hoebaisch (Hubaisch) pronuntiare. Nieb. p. 328 Büsching. p. 680. Not. et Extr. 527.

Hodaidah حديدة, oppidum et tractus, sed praeter Hodeidam nullus in hoc pago reperitur locus. Niebuhrius urbem Hodeidam portum Beitelfakihi nuncupat, dicens, ambas urbes eodem tempore magnam gloriam ob divitias adeptas esse. Distat altera ab altera septem fere milliarium spatio et Ghulafika ab Hodaida quinque milliarium spatio remota fuit. Hodaida, etsi satis magnum comprehendens ambitum, magnis tamen, pulcrisque aedificiis non excellit, sed, ut fieri solet in plurimis Tehamae oppidis, maximam partem parvas tantum tabernas continet. Divitiæ urbis hinc praecipue nascuntur, quod mercatores, qui merces per sinum Arabicum vehunt, Hodeidae vectigal solvere coacti sunt. Mannertus hanc urbem cum Ptolemæi **Socatia** componit.

(Niebuhr. p. 228. Büsching p. 664. Not. et Extr. 527, 528. Mannert. p. 61.)

Hubal حبل. Ita vocem pronuntiandam esse, docent Firozabadius et L. G. Ille habet: حبل كزفر موضع, et L. G. حبل بوزن زفر موضع باليمامة. In codice saepe narratur, Zebido huc profectum aliquem esse, nullis, quae inter ambas iacuerint, urbibus memoratis, cum tamen ex more nostri sit, omnes urbes, per quas ad aliud veniatur oppidum, accurate recensere (cf. p. 39, 6. p. 42, 9 p. 49, 12.) — Porro docet p. 43, 3, Hubalum inter Lohadj et Djubanum, quae non procul a Zebido abfuerunt, sitam fuisse. Igitur Hubal ne ipsa quidem multum a Zebido distabat. Distinctius autem fines, quibus clausa fuerit, describi

nequeunt, propterea quod geographi eam non commemorant. Occurrit جبل حديد, p. 52, 1, sed legendum videtur جبل حديد qui mons inter Lohadj et Adenum situs fuisse videtur. Nam Scheichus Abdolbaki ben Muhammed b. Thaher, capta Lohadjo, contra Abdolmelikum, regem Adeni, cum exercitu egressus, ad hunc locum ei occurrit, ibique proelium committit, anno 895.

Alhusainijjah قرية الحسينية, occurrit (vicus) p. 37, 5, unde id apparet, eum non procul abfuisse ab arce Alscherif, quum ex hoc loco Ben-Sofjanus in gentem Almaazibah, quae in Alhusainijjah erat, incursionem faceret. In L. G. reperitur حسنة vallis Jemanensis.

Huwaib هويب. Firozab. dicit: الهويب ككميت ع بزبيد. Noster p. 12, l. 2. affert: قرية يقال لها هويب, quod probare videtur, Huwaib parvi momenti locum fuisse neque omnibus notum. P. 18, l. 21. memoratur regio inter Ahwabum et Huwaibum, de qua dicitur: وهو الرستاق المتصل من جبل زبيد الى البحر «quae est regio a montibus Zebidi usque ad mare extensa», unde sequi videtur, recte contendere Firozabadium, Huwaibum esse locum apud Zebidum.

Jâfaa يافع, pagus inter Adenum, Hoedjerie, Katabam, Roddan et Hadhramautum, in australi et orientali Jemanæ parte situs, ante Imamo, iam vero tribus principibus immunibus subiectus. Sacyus Jafaam a nonnullis provinciae Hadhramauto annumeratam, atque nomen Jafaa a celebri scriptore Jafec derivandum esse arbitratur. [Nieb. 281, 282, 5, et Extr. p. 536.]

Kaddahah الكدحة. Niebuhrius vicum huius nominis nominat p. 223, eumque ad pagum Moccham pertinentem, ad mare situm de-

pinxit, sed haud scio, an hic locus cum nostro conveniat, cum auctor codicis bis Kaddaham ab oriente Beitelfakihi ben Adjil iacere dicat [p. 53, 27 et 55, 16.]. Nibuchrii enim Kaddaha non ab oriente, sed a meridie Beitelfakihi depicta est. [vide eius tabulam geogr. Jemanæ.]

Kadrâ كدرا, in libris geographicis non occurrit. Kamusus habet: كدرا بلدة باليمن ينسب اليه الاديم. Ex nostro, quod sequitur, cognoscimus: Kadram conditam esse ab Huseino b. Selamah, vicario regis adhuc infantis [quem alii Ibrahimum, alii Zijadum, alii Abdollahum nominarunt; fuit autem filius regis Abudjeischi], ad Wadi Seham anno 391, [p. 8, l. 9, 10 af.] et p. 27, 7 rursus urbem Kadram ad Wadi Seham sitam vastatam esse. Fluvius hicce in medio Djabâle in pago Heime oritur, inde in planitiem Tehamae decurrit, atque prope Hodeidam in sinum Arabicum se effundit. [Niebuhrius pronuntiat Sehan loco Seham, eodem modo ut p. 249 Molkân loco ملحام]. —

Kameran كمران. Magna sinus Arabici insula, praecipua fertilitate excellens, pertinens ad tractum Lohaiam. Parvo tantum incolarum numero habitatur, pulcro autem portu gaudet, quare naves mercatoriae huc devertere solent. Insula non multum a continente abest et in medio fere inter Hodeidam et Loheiam iacet. (Niebuhr l. l. 230.)

Kawârîr قوارير, arx, quae non admodum remota a Zebido fuisse videtur. Nam p. 7, l. 6. af. auctor orientalem Zebidi portam nomen باب الشبارق accepisse refert, quod ad vicum Schabarik, unum ex vicis ad Wadi Zebid sitis, et tum ad arcem Kawârir, et quae prorsus se-

quantur loca, vergat. Igitur Kawarir ab oriente vici Schabarik sita erat, et Schabarik, quamquam ne de hoc quidem vico quidquam a geographis relatum est, ad Wadi Zebid, i. e. prope ipsam urbem Zebid iacebat. Reliqui loci, ubi auctor huius arcis mentionem fecit, cum hoc bene conspirant. (p. 18 l. 29. p. 27, 15. p. 43, 6. af.)

Kendeh كندة, p. 3, l. 11, Meninskio teste regio est Jemanica provinciae Hadhramauto confinis.

Koraschijjah القرشية, vicus, qui genti Benu Abcar, uni ex tribus Koraischiticis, erat proprius, cum alia gens, Benu Ali, locum Ruvie (الرويه) possideret. (vid. cod. p. 56, 2.) Niebuhrio teste Korraschijjah hodie vicus est, in tractu Zébidi situs. Niebuhrius vocem Korschia pronuntiat. Equidem Koraschijjah scripsi, quia vocem a gente Koraischitarum derivandam censeo. (Niebuhr. p. 225.)

Kurtub' قرتب, celebratus antiquitus vicus, qui australi portae Zebidi nomen indidit, haec enim porta ad Wadi Zebid et dein ad hunc locum vergebat. Auctor vicum Kurtub ad Wadi Zebid situm, eximia praestantia praeditum et multis viris doctis probisque florentem describit (p. 7, 2 af.) Niebuhrii tempore Kurtub vicus mediocri magnitudine fuit, quem et ille ad tractum Zebid pertinere dixit, (Niebuhr. p. 226.).

Lahadj لحج, oppidulum in pago Belad Aden situm, sedes imperii Scheichi huius pagi, quem iam ante dixi non subditum Imamo, sed sui iuris esse. Quindecim milliarium Italicorum spatio ab Adeno remotus in planitie fertili iacet; sed geographi non conspirant, utrum ad mare collocan-

dus sit, nec ne. Niebuhrius et D'Anvillius a mari eum removerunt. Barthema hanc urbem Lagi, Nieb. et Büsch. Lahadsje pronuntiant. (Nieb. p. 225. Büsching. p. 692. Not. et Extr. p. 529.) In tribus codicis locis nomen urbis لحج seu لحج scriptum reperitur, (p. 16, 22. p. 43, 3. p. 22, 2. af.). Hic vicus inter Adenum et Zebidum iacuit, id quod haec codicis loca probant.

Lamijjah لامية vide voc. Mansora.

Madarah مدارة, vicus qui laudatur p. 41, 16. De situ nil patet.

Mahalib محالب. Teste Firouzabadio est: المحالب بلد باليمن, paulo accuratius L. G. محالب بليدة وناحية دون زبيد, »Mahalib est oppidulum et regio infra Zebidum.«

Makranah القرانة, oppidum, quod pertinet ad pagum Róda, رداع. Niebuhrius id non memorat. In libro برق اليماني vero de eodem relatum est, et Sacyus in Not. et Extr. p. 427 auctoris verba ita explicat: »Baresbäi, étant sorti de Taaz, s'empara de Makrana, place forte, où étoient renfermés les trésors du sultan; il y trouva d'immenses richesses« cett. Sultanus ille fuit Amerus. — Convenit cum hac oppidi descriptione noster p. 26, 10 af. p. 43, 10 af. p. 50, 3 et 4. p. 51, 3. p. 51, 22. alia. Proprium erat regibus ex gente Banu-Thaher. conf. cod. p. 50. القرانة بلد الملوك بني طاهر.

Mansora المنصورة. Hic vicus, a. 592. ab Abulfawariso Seifolislamo Thagtakino conditus [p. 18, ult.] inter Djennadum et Adenum situs, [p. 18, l. 3. af.] pertinebat ad regionem, quam auctor بلاد اللامية, regiones Lamiticas appellat. Hae بلاد اللامية saepius in nostro occurrunt, v. c. 53, 9 af., tum quoque عبيد لام servi Lam [p. 54, 6 af.]

cum iis cohaerere videntur. Kamusus affert, Lamijjah esse tractum Jemanensem. De vico Mansora autem id, quod Niebuhrius refert, cum nostro consentit. Nam, Niebuhrio teste, Mansora magnus vicus in pago Hoedjerie situs cum magno castello, sede principis, est, et cum multa magnaque templa hic fuerint, quorum ruinae adhuc exstant, hunc locum olim multo celebriorem fuisse, recte concluditur. Niebuhrius igitur, ut noster, Mansoram inter Adenum et Djennadum, paululum ad meridiem vici Dimluwwae sitam in tabula geogr. depinxit. [Nieb. p. 244. et eum secutus Büsching p. 684.] Jam cum nihil de pago Lamitico cognitum sit, hoc unum discimus, quoniam Mansora ad eum pertinuerit, eum in limite Djabalis et Tchamae, vel in australi et orientali Djabalis parte exstitisse. Sed ex loco Abulfedae [A. M. t. V. 284] apparet, Lamitas quoque in Hedjazo habitasse: اجتمع جماعة من بنى لام من عربان حجاز, »Convenit pars Lamitarum, [qui erant] ex Arabibus, qui Hedjazum habitabant.«

Almanzarijjah vicus, qui in regione Lamitica situs est p. 58 l. 11. Niebuhrius vicum huius nominis in pago Beitelfakiho situm memoravit.

Mâreb مارب. Urbs primaria magnae provinciæ Djof (جوف), spatio sedecim milliarium a Sanaa remota, neque magna neque pulcra, attamen vel hodie adhuc muro clausa. Noster in quatuor eam urbibus sacrosanctis numerat p. 3, 1. Urbs valde celebrata fuit in antiquitate propter magnum aquae receptaculum, cuius ruinae nunc quoque exstant. Arabes ei nomen Sitte Mareb indiderunt, sed haec est pronuntiatio vitae communis, cum scribendum sit سد مارب; ratio eius haec fuit. Cum plurimi harum regionum fluvii

eo tempore, quo terra pluvia non solebat rigari, aqua destituti essent, Arabibus hoc praecipue curae fuit, ut, si fieri posset, aquam providerent, qua terram rigarent. Itaque sex septemve flumina, quorum nonnulla perpetua aqua abundabant, ab incolis Marebi in vallem, quinque fere milliaria in longitudinem productam, per canales deducta erant, atque a fronte huius vallis porta erat exstructa, qua, cum fluvii nimia aqua plus aequo accrevissent, aqua retineretur. Tum vero aquaeductibus aqua in hortos camposque divertebatur. Cum vero rex Amruus ben Amer Mozaihijja in regionibus Marebi regnaret, nocte quadam aqua tanta vehementia in portam illam aggeremve irruit, ut aggeres diruerentur atque fluxus, in ipsam irruens urbem, omnia aedificia vastaret. Ab Arabibus ipsis res diversis modis narratur, de quibus fusius exposuimus in prolegg. — Qui locus hodie nomine Mareb exstat, postea igitur exstructus est, cum prior ille aqua vastatus sit, (cf. Nieb. p. 277. Büsching p. 694 seqq. Mannert. p. 80 seqq. et prolegomena.)

Marra مرى (de modo, quo efferenda sit vox, dubito), vicus, qui ad Rima رمع pertinuisse dicitur, conf. Wadi Rima p. 52, 4. Alibi hic non commemoratur, sed collata de Michlafis expositione, quam praemisi, invenies Michlafum مقرى فيه وادى رمع, quare nescio, an loco مرى sit مقرى legendum. Idem proponit cl. Hamaker. — Vallis quippe Marri, Muvae vicina, hoc loco intelligi nequit. Ceterum hunc locum haud procul ab urbe Zebido distasse, inde colligi potest, quod, proelio ibi commisso vespera eiusdem diei Zebidum rex Amerus b. Abdolwahhab pervenerit. (De valle marri conf. Pocockii specim. hist. Arab. p. 42.)

Medeb مدب, vide vocem Chalab.

Megfer المغفر, oppidum fundatum ab Huseino ben Selamah anno 391, una cum Kadra, idque ad Wadı Dewal. Neque illud oppidum neque hunc fluvium geographi memorant, quare de loci situ nil amplius constitui potest.

Mehdjem مهاجم, ante urbs celebrata pagi Loheiæ. Sed nunc nil fere nisi templum ex ea superstes est. Urbs in medio fere inter Loheiam et Hodeidam spatio sita ab Adeno octo dierum, a Sanaa septem dierum spatio distabat (teste Abulfeda ab utraque sex dierum intervallo). Ex nostro apparere videtur, eam in litore iacuisse, nam auctor p. 10, l. 17 loquitur de ساحل المهاجم; hoc autem omnia, quibus praeterea occurrit, loca arguunt, eam non multum a Zebido abfuisse, et cum hoc conspirat id, quod Abulfeda dixit, eam trium dierum spatio a Zebido remotam fuisse.

Büsching p. 663, 664. Niebuhr. p. 669.

Mekdusah مقدوسة; littera ق punctis est destituta. Semel tantum hoc nomen occurrit, p. 45, 2, ubi inter Schahr et Silah (زيلع) nominatur.

Memlah الملاح. In Niebuhrii descriptione Arab. hic locus non nominatur, sed in tabula geogr. Jemanae depictus est in pago Mocchæ, aliquantulum a septentrione urbis Mocchæ, ad mare situs, at parvus tantum vicus videtur esse. Noster Memlahum vicum nuncupat, p. 23, 32, qui non procul a Zebido abfuisse videtur, nam p. 25, 26 narratur, templum exstructum esse Memlahi: خارج مدينة زبيد, atque eodem modo p. 29, 6 af. situs loci significatur verbis: بظاهر زبيد, extra Zebidum i. e. ante portam.

Memrah ممرة, arx, quae pertinebat ad حصون اللوا, p. 35, 3. De arcibus اللوا exhibet

L. G. اللوا من اودية بنى سليمان به وقعة للعرب »Liwa est ex convallibus Benu Suleiman, ubi proelium ab Arabibus commissum est.«

Mezdjahah مزجاحة, vicus p. 45, 8. obvius, sed nihil praeterea allatum est, neque a nostro, neque a geographis.

Milcah الملكة (de vocalibus dubito). Vicus ad vallem Rimah رمع, pertinens.

Misbah المصباح occurrit p. 42, 11 af. et 52, 20 qui locus ad regionem Usab pertinuisse videtur.

Almuhtaliba المحتلبة, vicus ab oriente Taazi situs, ut dictum est p. 23, l. 31. In tabula Niebuhrii non exstat.

Mur مور, hodie vicus, olim urbs; eiusdem nominis fluvius memoratur. Niebuhrius hunc vicum in pago Loheia, parvo ab urbe Loheia spatio dimotum, collocavit, sed fluvium non memoravit, neque in tabula geogr. depinxit. Atque pro ratione plurimornm Jemanae fluminum hoc novum inauditumque non videtur, torrentem, qui antea exstiterit, postea exsiccatum atque arena haustum fuisse. Wadi Mur [Vallis Mur] memoratur in cod. p. 9, l. 3 p. 23, 7. — [Nieb. p. 229].

Almurrah المرة, vicus, qui nostro auctore testante non procul a Zebido et Beitelfakiho inter utrumque locum videtur iacuisse [p. 36, 3 af. p. 39, 10 af.]. Cum hoc Nieb. conspirat, qui Murram magnum vicum inter Zebidum et Beitelfakihum situm dixit, addens, ad pagum Zebid eum pertinere. Vastatus est anno 875 a Koraischitis aliisque. In tabula hic locus ad Wadi Elmahad descriptus est. Tribus Morrah occurrit in Pocockii specimine p. 51 [vid. Nieb. tabul. geogr. et descript. Arab. p. 225].

Musalleb المسلب fuit vicus ad Wadi Zebidi

Zebid, ubi rex Almudjahidus templum Selahijjah exstruxit [p. 23, 32.]. Etsi Niebuhrius huius vici mentionem non fecit, tamen, eum ad pagum Zebid pertinuisse, non ex hoc solum loco, sed ex aliis quoque factis constat. cf. p. 24 7. p. 56, 8. Accedit, quod Firouzabadius disertis verbis dicit: مسلب كمعظم قرب زبيد.

Muzaa موزع, olim urbs, hodie vicus pagi Mocchae. Urbs sita fuit ad Wadi K'bir, laetoque adspectu, maximaque volucrium copia abundans. Sunt qui putent, vicum, qni hodie nominatur Muzaa, veterem urbem Muzaam non esse, hanc potius sitam fuisse in eo loco, quo hodie vicus Mausidj [موسج] inveniatur, quoniam Ptolemæus et auctor Peripli maris erythraei Muzaam ad mare sitam fuisse retulerint, qui vero locus hodie nomine Mazaa appelletur, eum a mari remotum esse, Mausidj contra mare attingere, [Mannert. p. 224]. Quae quidem sententia uno loco codicis nostri confirmari videtur. Est ille p. 36, 22 et 23, ubi narratur, Ben Sufjanum et Schemsoddinum, postquam Bokae convenerint, Adenum se contulisse sequentes cursum sinus Arabici, atque in hoc ipso itinere Muzaam adiisse. (Haec auctoris sunt verba: التقيا فى البقعة وعزما معا فى البر طريق الساحل الى عدن ودخلا فى طريقهما موزع ثم دخلا عدن, Büschingius contra vicum, qui hodie nominatur Muzaa, veteremque urbem Muzaam comparat. Mausidj autem non plus ducentis passibus a mari remota in medio itinere Moccha Zebidum ducente deprehenditur, atque ad pagum Oesab el Asfal pertinet (vid. Nieb. p. 223 de Muzaa (Musa) et p. 224 - 225 de Mausidj. Voyage de l'Arab. heur. p. 194 Büsching p. 671. Mannert. p. 63 et 90.).

Nachl النخل. Haec vox saepissime in codice est obvia, sed nusquam dictum est, vicum huius nominis existere, quare Nachl aut pagum aut vicum fuisse puto. E permultis locis, hunc prope Zebidum exstitisse, atque in Wadi Zebid situm fuisse patet. cf. p. 24, 3. p. 28, 17. p. 28, 13 af p. 29, 4 af. p. 30, 23 et 24. Niebuhrius quoque huius vici ad pagum Zebidi pertinentis mentionem facit, p. 225. Locus quidem huius nominis in Camuso adducitur; sed dubitare licet, num hic locus prope urbem Zebidum situs fuerit. Camusi auctor Jemanæ locum quendam Nachil نخيل appellat. In omnibus locis, ubi vox occurrit, de palmis ipsis نخل appellatis sermo esse videtur. Ego vero, ne a Niebuhrio, tantae auctoritatis viro, omnino dissentire videar, meam de voce sententiam in rebus relatis non adhibui, quippe fieri potuerit, ut nomen palmarum in vicum palmis colendis exstructum transferretur. Quae mea opinio iis, quae statim exponam, mire confirmari videtur. Jam vero aliis in locis occurrit نخل المدلى, p. 34, 8. نخل المدلى p. 34, 6 af. et 5 af. p. 35, 9, ubi narratur, hanc regionem dimensam esse. (وعد نجل المدلى فكان عدده مائة الف والف عود) et p. 34. talis exstat locus وخرج يوم ثانى واقام فيه .... وجملة ما ضرب من نخل المدنى فى مدة اقامته هنالك خمسون الف عود. Vocem المدلى falso scriptam esse loco المدنى, atque المدنى derivandam esse a مدينة puto, quare continuo in versionem recepi »Nachl Medinensis«, attamen non, quasi Medinensis pertineret ad urbem Medinam, — id quod ubique sensum turbaret — sed مدينة hoc loco Zebidum indicat, quoniam Nachl prope Zebidum situs fuit. Haec regio magnam dactylorum copiam protulisse ceterisque

urbibus suppeditasse videtur, cum plurimis locis referatur, illuc perventum esse fructuum colligendorum causa نقنع ثمره. — Occurrit quoque نخل المعزبة p. 35, 2. — Quare mihi ita videtur, vocem النخل modo nomen proprium, modo appellativum esse, cum interdum addita voce alia restringatur.

Nedjran نجران, urbs antiqua, quae in vetere Arabum historia sæpissime memoratur, valdeque est celebrata. Jacet in pago eiusdem nominis. Niebuhrius eam cum Ptolemai Nagara componit, (cf. Nieb. p. 274. Büsching. 638 et 655.).

Nuri نورى Hic vicus a rege Almensuro Nuroddino, qui a. 630 - 647 imperium tenuit, originem duxit, hoc modo, ut primum inter urbes Heis et Zebid templum huius nominis aedificaret, cui Imamum et praeconem sacrum apposuit, deinde vero omnibus, qui prope illud domicilia sibi exstruerent, benevolum atque benignum se praeberet; hinc paulatim factum, ut, multis hominibus illic considentibus, templum vico circumdaretur, qui idem iam nomen acciperet. Vox Nuri autem a conditore, Nuroddino, originem traxit; est enim Nuri adiectivum relativum a Nuroddin (نورى) — Addam ipsa auctoris verba, p. 20, l. 27-29 obvia: وهو الملك المنصور نور الدين الذى انشا مسجد النورى فيما بين مد ينتى حيس وزبيد وجعل فيه اماما وموذنا و جعل لمن سكن معها مسامحة ما يزرعه فسكنها الناس حتى صارت قرية وانتفع الناس بها واظنها انها سميت النورى نسبة اليه لانه كان يلقب نور الدين رحمه الله. Aliis de hoc vico cognitum nihil est.

Nuwaidirah النويدره, vicus p. 46, 22 obvius, unde non patet, qua ratione littera quieta ى,

punctis destituta, pronuntianda sit, non patet. Non procul ab urbe Zebido Taazum versus situs fuisse videtur. In geographicis non occurrit.

R a h a h الراحة, urbs apud geographos non obvia. Memorat noster regionem inter Raham et S a n h a n u m سنحان (sed deest signum diacriticum supra ن) sitam p. 21, 2 af. Kamusus exhibet Raham, locum Jemanensem.

R e i m a ريمة. Kamusus habet, Reimam esse Michlafum Jemanensem. In cod. p. 11: 4 occurrunt Reima, Usab et Dhafar, quae dicuntur الجبال على المطلة زبيد i. e. montes, qui Zebido imminent. (p. 26. memoratur arx Reimæ. — Niebuhrius vici Rema ibn Hoemeid, vulgo Rema nuncupati, mentionem facit, paululum a meridie Sanaae siti, p. 232) cui illud, quod noster de situ Reimæ prædicavit, non videtur consentaneum, cum vicus ille non tam prope ad Zebidum adsit, ut ei immineat. Sed memorat Niebuhrius præterea, ريمة nomen esse Arabibus usitatum ad provincias hodie Djebi et Kusma nuncupatas designandas. Quamquam noster de arce tantum vel monte Reima loquitur, tamen, quum situs pagi illius valde consentit cum nostro, Reimam in nostro quoque non urbis solum, sed pagi quoque nomen fuisse dixerim. — Locus Rama in vaticiniis Ezechielis, 27, 22. et Genesi 10. 7 obvius cum nostro omnino conferri nequit, quia Hebraeorum Ain non respondet Arabum litterae ى. Büschingius animadvertit, urbem, hodie J e r i m nuncupatam, eandem esse, quam Barthema R e a m a nominarit; sed Jerim nimis longe distat a Zebido, quam ut illa auctoris verba ad eam referri possint.

R i m a h رمع, Oppidum Jemanense, sedes Aschabritarum.

Roda Alarsch رداع العرش Niebuhrius pagum et urbem Ròdda memorat, sed vocem العرش ei non addit. Hoc non impedit, quo minus Niebuhrii Ròddam indicari putemus, praesertim cum semel vox العرش in codice omissa sit. (p. 54, 1.) Ex L. G. non Roda, sed Rida pronuntiandum est, cum hoc exhibeat: رداع من مخاليف حولان. Addit dein, voce رداع significari quoque puteum. In uno codicis loco legitur: رداع الحرامل p. 56, 1. [vid. Nieb. p. 234 et 235.].

Ruwie روية, olim urbs, hodie vicus ad pagum Zebidi pertinens, occurrit in cod. p. 42, 20 et 45, 21. Ab hac non diversam censuerim urbem, quæ bis in cod. روبة p. 56. l. 11. scripta est; nam de urbe Ruba nihil cognitum, et ب scribæ socordia loco ى videtur esse scriptum, [vid. Niebuhr. p. 225.]

Saada صعدة, una celebratissimarum Jemanae urbium, caput pagi Sahan, et sedes praefecti regionis circumiacentis, qui Imami titulum sibi assumpsit. Distat illa non multum a limite Hedjazi ac Jemanae, porro sexaginta parasangarum spatio a Sanaa remota est. Büschingius auctor est, nomen eam a situ depresso accepisse. Regulus, cui Saada hodie subdita est, ad gentem pertinet regum provinciae Kaukeban; sed secundum auctorem libri برق اليمانى aliqua urbis pars Imamo Scherfoddino et Mutahhero propria fuit. Inter Saadam et Haschid u Bekil desertum Anasia invenitur. (Nieb. p. 271. 272. Büsching. 656. N. et Extr. p. 532.)

Sabhuh صبحوح, (secunda littera punctis caret et vario modo efferri potest) vicus, in tractu Usabo situs p. 30, 15, 16.

Sahban صبهان, occurrit, praeter nostrum, in libro برق اليماني. Sacyus e loco libri huius divinat, hanc urbem non procul a Baadan et Hofasch abfuisse. E codice nil apparet. cf. Not. et Extr. p. 532.

Sahib in codice scribitur صهيب p. 25, 22. sed desunt puncta diacritica sub littera ى: regio', quæ ab oriente Taazi sita erat. Dubitari potest, num nomen regionis an loci sit, sed regionem significari verisimilius videtur.

Saka ساقة, interdum شاقة scripta. Pronuntiandam puto Saka, quod L. G. perhibet, hoc nomine vocari castellum pagi Abin. (الساقة حصن من حصون ابين.)

Salâma السلامة, vicus nonnisi in nostro obvius (p. 23, 31.). An cum tractu Beni Slama, quem Nieb. p. 234 affert, componendus sit, sciri nequit.

Sanaa صنعا, celebrata urbs Djabâlis ad pagum Sanhanum pertinens. Finditur parvo fluvio, qui vero nonnisi multa pluvia delapsa aqua gaudet; prope occidentalem urbis partem aliud invenitur flumen, idque maius priori, ad cuius ripas iucundi exstant horti. Niebuhrius ceterique geographi amborum fluminum nomina non attulerunt; alteri eorum nomen Bermeki fuisse, e cod. p. 6, 21 apparet. Hoc enim flumen Muhammedes b. Chalid b. Bermek anno 183 H. ad urbem deduxit. — Urbs ad radices montis Nikkum (نقم,) quem alii Lokkum nuncupant, sita, vallo circumdata, ab Abulfeda una maximarum Jemanae urbium, a Geogr. Nub. caput totius Jemanae, a nostro caput superioris Jemanae partis dicitur, antiquitus sedes imperii regum, et nunc quoque Imami est, id quod cum ex aliis,

tum e nostro apparet, cum in codice, ut quisque Jemanae praeficitur, ita Sanaam eum contendisse narretur. Sanaa multis templis, aedificiisque magnificis, turribus, balneis excellit. Ab orientali parte castellum in colle Gamdan exstitit. Noster ipsum castellum Gamdan nuncupat, idque a Semo, filio Noachi, exstructum esse refert. Niebuhrius autem notat, aliud in monte Nikkum situm castellum a Semo originem trahere. Nostro tradente Semus ipsam quoque urbem exstruxit et puteum in ea fodiendum curavit. Refert noster praeterea, amoenitate sua paradisis adnumerari. Idem auctor libri Voyage de l'Arabie heureuse, Abulfedam secutus, his verbis narrat: »Abulfeda, celèbre geographe, ajoute, que Sana ressemble tout à fait à Damasc par l'abondance de ses eaux et par ses jardins delicieux« et hanc ob rem coniecturam proponit, paradisum sublunarem, cuius permulti veterum poetarum mentionem iniecerint, et quem Iram dixerint, hic exstitisse. Profert tandem opinionem, quod in hac urbe sedes regum Jemanensium fuerit, multa adhuc antiquitatis monumenta ibi exstare. — Addamus etiam, quod auctor libri برق اليمانى de Sanaa dixerit, cuius verba Sacyus ita interpretatus est: «Sanaa, la plus grande et la plus anciennne ville du Jemen, a été de tout temps la residence des rois de ce pays; elle est située sur une petite rivière qui vient des montagnes au nord de cette ville et qui coule de Sanaa à Dhamar. Cette ville renferme beaucoup de jardins, et son terroir est trés abondant en fruits; elle est entourée d'une mur d'ancienne construction.« Murus ille, qui etiam in Voyage de l'Arab. heur. memoratur, Niebuhrii tempore non videtur exsti-

tisse, cum ille, ut iam notavimus, urbem vallo potius quam muro, e lateribus non coctis confecto, cinctam esse referat. (Vid. in codice nostro p. 2, l. 4 af seqq. Nieb. p. 230, 231. Büsching. p. 672 seqq. Voyage de l'Arab. heur. p. 229 seqq. Notic. et Extr. p. 481.)

Schabârik شبارق, vide vocem Kawarir.

Schahr شحر, urbs et portus in tractu Jafaa. Auctor Camusi dicit, tractum littoris maritimi inter Ohman et Adenum ita appellari. Videtur autem nomen urbis regioni nomen dedisse. Quod iam Niebuhrius animadvertit, in Geogr. Nub. modo شحر, modo شجر scribi, idem in nostro codice usu venit, quarum lectionum utra vera sit, inter geographos non convenit. Hoc nomen a diversis tam diversa ratione pronuntiatur, ut vix credibide sit. cf. Büsching p. 700, qui diversas pronuntiandi rationes recensuit, simul vero, secutus librum inscriptum: Voyage de l'Arab. heur., non urbem solum, sed tractum huius nominis exsistere statuit. Hoc mihi ad liquidum videtur perductum, nostrum vocibus شحر et سحر unam eandemque urbem significare, hoc itidem apparet (quod nonnullos in dubium vocasse video), Schahrum ad mare sitam fuisse (cf. p. 50, 21). Auctor libri برق اليماني ipse modo شحر, modo شجر scripsit. — Mirum sane, unde apparere videtur, urbem utroque nomine dictam fuisse. Sacyus lectionem شحر praefert. (Not. et Extr. p. 533. Voyage de l'Arab. heur. p. 129, qui hanc urbem in tractu Farlach nuncupato sitam contendit. (Nieb. p. 282. Büsching. 697 et 700 sqq.)

Schereb شرعب, oppidum, quod occurrit p. 47, 4 af. Nieb. vicum شرعب حميعر, Schereb Hamjar, eundem dictum بلد الشرعب, memorat, qui

in tractu Taazi, in itinere Taazo Adinum ducente, situs fuerit (p. 242). Nihil pugnat, quin hicce idem cum nostro sit, quamvis cognomen حميعر non occurrat in codice. L. G.. exhibet, شرعب pertinere ad Michlafos Jemanenses, simul vero oppidum esse ab austro Taazi.

Scherf شرف arx Jemanensis, quae pertinebat ad حصون اصاب, i. e. ad Niebuhrii Oesab, neque procul a Zebido distabat. (conf. vocem Usab.) cod. p. 16, l. 3, 4.

Schuraif شريف p. 37, 3 arx, eaque, ut L. G. testatur, in tractu Zebidi. Eodem nomine, addit, appellari vallem in Nedjd.

Seham شهام, vicus, ad tractum Heime et Asfal pertinens atque non procul a Wadi Seham iacens, ut Nieb. docet. Cum hoc non pugnat, quod ex nostro apparet. Etenim p. 7, l. 5. af. dicit auctor, septentrionalem Zebidi portam ad vallem Ramam et Seham vergere.

Serah السراة videtur tractus e regione Nedjerani fuisse, p. 4, 23.

Serbech سربخ, p. 38, 19 et p. 21, 10, nomen vici. Sed L. G. exhibet, سربخ esse nomen loci in Jemana: fortasse vero شريج est legendum, quum signa diacritica a voce absint, quod, teste L. G., nomen appellativum vicorum nonnullorum in vicinia Zebidi est.

Serendib, insula Indica, occurrit p. 11, 27.

Sudjcina سجينة. Ex uno, quo hic vicus memoratur, loco patere videtur, eum non procul a Zebido abfuisse (p. 37, 24.) Hinc non dubito, quin, quem affert Niebuhrius locum Sudjene in pago Beitelfakiho situm, idem sit cum nostro سجينة (Nieb. p. 227).

Surdud سردد. Niebuhrius affert, Wadi Surdud esse tractum satis magnum, multis a Djabale deruentibus fluviis rigatum, non procul ab urbibus Muro et Otarradho distantem (cum hoc facit noster p. 24, 14.), in hoc tractu esse Mochlaf, oppidulum, sedem Scheichi huius tractus. Forskalus in florib. Aegypt. p. 10 refert, vallem Surdud esse »montibus altis cinctam, refrigerio et aquis foventem plantarum copiam locupletem.« (Nieb. p. 229.)

Taakkur تعكر. In codice de arce Taakkur non raro sermo est, quamvis, ubinam sita fuerit, non appareat, nisi forte, quod p. 18, 9 af. eam una cum Had, Hadad et Taaz ab Abulfawariso Seifolislamo cum dirutam, tum denuo exstructam esse narratur, et quod de reliquis arcibus, excepta Hadad, constat, eas ad inferiorem Djabâlis partem vergere, hinc concludere placet, Taakkur in eadem fere, qua ceterae, regione sitam fuisse. Niebuhrius enim arcis huius nominis mentionem non fecit. Sacyus, arcem Taakkur secundum auctorem libri برق اليمانى non procul a monte a Badano et urbe Djobla abfuisse monuit, atque Niebuhrium in itinerario (quod mihi in promptu non est) montem Takel, non procul a Djóbla remotum, arcisque ruina praeditum, memorasse, quem quidem montem cum Taakkur componendum putavit. (Not. et Extr. p. 477, p. 535.) Tum vero, Taakkur revera in hac regione sitam fuisse, hoc confirmari credit, quod auctor alius libelli, Kitab bolougalmeran inscripti, tractum Scheban Attaakkur (شبان التعكر) parum remotum ab Alkäeda et monte Alahmar memorarit, atque Nieb. p. 239 regionis Scheban, ab oriente Djoblae et a meridie urbis Abb sitae, mentionem fecerit, ad

quem quidem tractum, quod et ipse vocem Taakkur in fronte gerat, hanc arcem Taakkur pertinuisse statuit. (Notic. et Extr. p. 533.)

Taaz تعز, oppidum magnum et tractus Djabâlis; urbs sub radicibus montis Sabber peralti et foecundi sita, firmo clauditur muro, in quo arx Kahhre reperitur, rupi abruptae imposita. Multa templa et palatia magnifica urbem antehac ornabant; sed hodie multae aedes collapsae, multa urbis loca vastata et vacua inveniuntur. Antiquitus Taaz saepe regum Jemanensium sedes fuit. Remota est quinque dierum spatio ab Adeno, trium dierum a Sanaa. (Nieb. p. 240, 241. Büsching. 681, 682. Voyage de l'Arabie heur. p. 194. Mannert. p. 29. Not. et Extr. p. 535 et 536.)

Tehaim تهايم idem significat quod تهامة vid. prolegg.

Tsa'nât ثعنات, semel تعنات, sed falso, ut puto, scriptum, oppidum a. H. 734 a rege Almudjahido refectum, muro circumdatum, et multis praeclaris aedificiis arcibusque ornatum (p. 23 ult. et 24 init.) Anno 708 arx Alma'kali المعقلى ibi exstructa fuit. p. 22, 19. L. G. offert, ثعبات Tsa'bat esse nomen oppidi Jemanensis.

Tuhaitâ التحيتا. Quamquam vox mendose تحيتا scripta est, tamen minime dubito, quin, ت loco ت posito, idem significetur locus, quem Nieb. التحيتا scribit et Tahäte pronuntiat: ego vero Tuhaita scripsi, quoniam in codice littera ت vocali Dhamma insignita est. Nieb. hunc locum ad occidentem Zebidi depingit, eumque aliquo plus duobus milliaribus ab urbe distare dicit, addens multa ibi templa domosque pristinam eius magnitudinem ostendere (Nieb. p. 225).

Turaiba التريبة, vicus in Wadi Zebid situs [p. 23, 32.], ab oriente urbis iacens. Vocatur a Niebuhrio etiam nomine Traha. In nostro ubique littera tertia punctis destituta est, quod negotium facessere non videtur, cum de situ constet, neque alius locus his litteris scriptus inveniatur. [Nieb. p. 226.]

Usab اصاب. Jam ad vocem Reime annotavi, hunc pagum non multum a Zebido distare. E locis, quibus Usab occurrit [p. 26, l. 8, p. 16 l. 3, p. 30 l. 16, p. 42, l. 11] apparet, Usab non urbis, sed tractus nomen fuisse. In Niebuhrii libro neque urbem neque pagum his ipsis litteris scriptum inveni; occurrunt autem duo pagi, quos ille O es ab pronuntiavit, اوصاب scripsit, quorum alter اوصاب الاسفل, alter اوصاب الاعلى. Ambo non procul a Zebido absunt [vid. prolegg.] Quid igitur? Num diversa haec scriptura difficultatem nobis exhibebit, praesertim cum de pago Oesab el Ala aptissime illud auctoris nostri المطلة على زبيد [p. 4, 11] praedicetur? cum praeterea a nostro pagus Usab, a Niebuhrio pagus Oesab el Ala ad Djabâlem pertinere narretur? (وما اليه من الجبال المطلة على زبيد p. 4,11) »et ad eam pertinentes montes, qui Zebido imminent» cum denique in voce اصاب litterae ا continuo vocalis Dhamma adscripta sit, qua re innui videtur, ab aliis huic voci fulcrum (و) inseri? Ego quidem rem plane ad liquidum perductam esse censeo; accedit enim, quod haec ipsa regio (Oesab et Ala) prae aliis multis montibus abruptis celsisque abundat, quare, quod noster praedicavit, magis etiam concinnum est. Oesab et Ala autem potius, quam Oesab et Asfal intelligenda est, quod illa Djabâlis, haec Tehâmae pars est. (Vid. Nieb. p. 245 et 224. Büsching p. 685.)

Wadi Choban, vid. vocc. Choban et Baadan.

Wadi Dewal دوال, p. 8, 9 af; a geographis non memoratur. Ad hunc fluvium urbs Megfer sita est. p. 8, 9 af.

Wadi Djazan. Nomen vallis, in qua oppidum Djazan situm fuit; fluvium ita appellatum exstitisse, pro certo affirmare non ausus sim, quum Niebuhrius eum non memoraverit. (Cod. p. 42 et 43.)

Waddilharir وادى الحرير, vallis, in qua tribus Banu Solaiman habitasse videtur. p. 38, 4 af. Tertia littera punctis caret.

Wadilkora. وادى القرى, vallis in Hedjazo sita, p. 5, 22 seqq.; Büschingius vallis Wadilkoræ in Hedjazo sitae mentionem facit, eamque vicis refertam dicit, urbem quoque ibi exstitisse, quæ anno 628 p.C. a Mohammede obsidione clausa et expugnata sit (cf. p. 626). Occurrit quoque in Abulfed. A. M. t. I. p. 132, unde apparet, hanc vallem non procul abfuisse a Chaibaro خيبر. cf. praeterea Hamaker. Pseudowakid. p. 7 et 54; in loco novissimo Wadikora coniungitur cum Tayefe, et H. in notis p. 12 addit. Wadilkoram esse »vallem pagorum in ditione Medinae, inter hanc urbem et Taimaam (تيما) sitam« secutus L. G. (Taimaa autem fuit oppidum inter Syriam et Medinam cf. eiusdem spec. cat. p. 102, Nota.)

Wadi Mecca, vel potius سيل مكة, cui additur vox الشهور, notus, igitur tunc temporis omnibus notus erat. Noster inundatione huius torrentis multas urbis aedes vastatas esse refert (p. 47, 13).

Wadi Mur وادى مور. Vid. voc. Mur.

Wadi Rima, وادى رمع. Teste L. G. fuit Rima nomen loci in Jemana, tum montis, tum

urbis, quae Abu Musae sit propria et pertineat ad urbes Aschariorum (اشاعر, بنو اشعر بن سبا, اشعريون, occurrit haec gens in codice; cf. Pocock. spec. p. 45. Eadem et in Camuso afferuntur); hanc sitam fuisse prope Zebidum. Denique pergit, رمع quoque nomen fluminis prope Zebidum esse, ad cuius ostium locus غسان sit. — Wadi Rima oritur non procul ab urbe Oethuma, atque, ad occidentem vergens, in fluvium Wadi Abarsi excurrit [cf. Nieb. tabul. Jemanae.].

Wadi Zebid, maximorum unus Jemanae fluviorum, qui in regione montana inter urbes Abb et Djoblam ortus ad occidentem labitur, atque urbes Djoblam, Uddin, Machsam et Mataam praeterfluens in Tehamam decurrit, dein paululum a meridie urbis Zebidi transcurrens in sinum Arabicum non procul ab ipsa urbe excurrit [vid. Nieb. tabul. geogr.]. Noster de hoc fluvio dixit: ليس واد ابرك منه p. 5, 14, et iam ante narraverat, ipsum prophetam ei benedixisse.

Wasâb وصاب, regio videtur ab oriente Taazi sita. Ita describitur p. 25, 22. In L. G. legitur, Wasabum esse montem prope Zebidum, in quo urbes, oppida, arcesque sint multae وصاب جبل يحاذى زبيد باليمن فيه عدة بلاد والقرى والحصون.

Wâsith واسط, urbs ad Wadi Zebid sita. p. 39, 5 af. Niebuhrius eam non memorat. Kamusus habet واسط ة باليمن. Occurrit quoque واسط مور, quae ubi sita fuerit, non patet (p. 49, 6.).

Zebid زبيد, conf. caput primum codicis. Quod noster refert, eam metropolin Tehamae fuisse, hoc Abulfeda quoque et Otter testantur, (apud Büschingium,) conf. De Sacy. Chr. Ar. T. I. p. 455 ed. alt. Rommel Abulfedae Arabiae descriptio p. 24. Ruinas aquaeductus illius,

de quo noster exposuit, vel nunc exstare, Büschingius est auctor. Moenia hodie plane diruta sunt, non ab hominibus, sed vehementia potissimum aquae a montibus deruentis. Miror, auctorem libri »Voyage de l'Arab. heur.« contendere, urbem aqua carere, cum praeter fluvium illum putei et aquae ductus Zebidi exstiterint. Antequam Zebid condita erat, ad fluvium, qui iam tum Wadi Zebid appellabatur, urbs Adhdhahib iacebat. Hodie Zebidi academia sectae Sunnitarum est. (cf. Büsching. p. 666 seqq. Nieb. p. 225. Voyage de l'Arab. heur. p. 104. Hamaker. spec. catal. p. 186. Not.)

Zeribah زريبة semel occurrit p. 19, 18, et hic vicus non procul a Zebido abfuisse videtur. Tertia vocis littera punctis caret. In L. G. occurrit الزرايب, pluralis vocis زريبة, quo nomine audit oppidulum maximi momenti prope Zebidum. الزرايب بليدة فى اوايل بلد اليمن من ناحية زبيد.

Zila. زيلع, nomen regni in Africa, eiusque oppidi primarii ad mare siti, et montis. Sita est urbs e regione insulae Socotrae (جزيرة بربرة سقطرى).

Corrigenda.

Pag.	4 lin.	21	leg.	Solaihita	pro	Salahita.
„	5 „	16	„	mort*uus*	„	mortus.
„	8 „	8	infr.	Appellatur	„	Appellatus,
„	10 „	12	„	Daüd	„	Djaüd.
„	16 „	6	„	A*l*fadhl	„	Abfadhl
„	26 „	15	„	*A*rabum	„	rabum
„	33 „	9	„	perfic*ere*	„	perficeret
„	38 „	3	„	quam	„	quam:
„	38 „	13	„	antiqu*i*tus	„	antiqutus
„	41 „	6	„	Judaeo*r*um	pro	Judaeocum
„	55 „	2infr.	„	major	pro	magior
„	71 „	10	„	abhorret	„	abhoret
„	90 „	8	„	pos*u*it	„	possit
„	94 „	18	„	a*b*	„	a
„	109 „	13	„	frat*r*em	„	fratem
„	112 „	12	„	Medinamque	pro	Mdinamque
„	114 „	19	„	qu*o*	pro	qua
„	131 „	21	„	esse*n*t	pro	esset
„	133 „	7	„	A*lmo*carrami	pro	Aocarrami
„	157 „	18	„	sit*u*m	„	sitem
„	173 „	14	„	muneri*bu*s	„	muneribns
„	191 „	5infr.	„	Ze*b*id	„	Zcbid
ibidem	„	3infr.	„	irrup*erunt*	„	irrupi
pag. 203	„	9	„	ins. *Accepisset*	post	Almudjahidus
„ 213	„	9	„	catapult*am*	pro	catapulta
ibidem	„	5infr.	„	a*r*cessito	pro	accessito
pag. 232	„	17	„	homine*s*	„	homincm
„ 234	„	4	„	tribubu*s*	„	tribubuš